



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita S. Erphonis, Mimigardefordensis Avt  
Mimmigernefordensis Nvnc Monasteriensis Episcopi, In  
Ordine & Nvmero Septimi Decimi**

**Boichorst, Albert**

**Monasteri[i] Westphaliae, 1649**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13197**

Th  
2586

K111  
29

V I T A  
S. ERPHONIS,  
MIMIGARDEFORDENSIS  
A V T  
MIMMIGERNEFORDENSIS  
N V N C  
MONASTERIENSIS  
EPISCOPI,

IN ORDINE & NUMERO  
SEPTIMI DECIMI.

*Valde  
rarus  
Ab*

A B  
ALBERTO Boichorst I. V. D. Reueren-  
dissimi & Illustris Capituli Cathedralis Ecclesiæ Mo-  
nasteriensis, nec non Insignis Collegij S. Mau-  
ritij extra muros Syndico, per otium,  
non otiosè collecta.

*Ex legato Celm. Princ. pns Ferdin. Ep. Paderb. et Monaster. No 1683.*



*Collegij S. Ioseph. Paderb.*

MONASTERI WESTPHALIÆ,

Typis BERNARDI RAESFELDI.

ANNO M. DC. XLIX.

---

David Psalmo III.

In memoriâ aternâ erit justus, ab auditione malâ non timebit.

Salomon Prouerb. cap. 10.

Memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrefcet.

Ecclesiastici cap. 44.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione suâ.

S. Ambrosius, qui vixit seculo à Christo nato quarto, mortuus est enim Anno Domini 397. serm. 77. in natali Tauricorum Martyrum.

*Specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.*

Idem S. Ambrosius.

*Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro per confessionem Domini sacros cineres, honoro in cineribus semina aternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere, honoro corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.*

S. Leo Primus, Papa qui vixit seculo quinto, mortuus est enim Anno Domini 461. serm. 10. in natali SS. Petri & Pauli.

*Sicut nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vite, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium Patronorum orationibus adiuuandos.*

---

EPISTOLA DEDICATORIA.

SERENISSIMO

A C

EMINENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

D. FERDINANDO,

ARCHI-EPISCOPO

COLONIENSIS,

Sacri Romani Imperij per Italiam ArchiCancellario  
& Principi Electori,

EPISCOPO

MONASTERIENSIS,

Paderbornensi ac Leodiensi,

Administratori Hildesheimensi ac Berchtesgadensi,  
Principi Stabulensi,

Comiti Palatino ad Rhenum,

Vtriusque Bauariæ, Westphaliæ, Angariæ & Bullionis  
Duci, Marchioni Franchimontano, &c.

PRINCIPIS & DOMINO meo  
Clementissimo.

N E C N O N

REVERENDISSIMIS & ILLVSTRIBVS DOMINIS,  
 D. Adolpho Henrico Droste Præposito.  
 D. Bernardo à Mallinckroth Decano,  
 D. Ioanni Heidenrico à Wörden Scho-  
 lastico, & Vet. Eccl. S. Pauli Præposito.  
 D. Christophoro Bernardo à Galen  
 Thesaurario.  
 D. Ferdinando à Buchholz Vicedomino.  
 D. Godefrido Droste Seniori, Cantori &  
 Burfario.

Ac reliquis Dominis Capitularibus & Canonicis  
 Cathedralis Ecclesiæ MONASTERIENSIS,  
 Dominis & Patronis meis, summè venerandis, colendissimisque.

SERENISSIME AC EMINENTISSIME

PRINCEPS

Clementissime DOMINE,

N E C N O N

REVERENDISSIMI, ILLVSTRES, AC GRATIOSI DOMINI.



*Onipotens & gloriosus DEVS, qui in fidelibus suis o-*  
*mnia operatur in bonum, cum anno ab hinc secundo,*  
*gravi in dextro brachio contusum casu, illo ipso in loco,*  
*quo puer septennis Cluensium Resa illud fregeram,*  
*duode-*

duodecim & ultra dies, lecto continuo affixum esse, & postea ad tres septimanas angustissimo cubiculo includi, interim grauissimis doloribus & cruciatibus me torqueri vellet, atque tum temporis seuerioribus negotijs & curis paulisper sepositis, animus laxandus esset, huc illucque eundem versans, & quid ad leniendos dolores fallendumque tempus, potissimum placeret, aut magis gratum foret, illi considerandum inquirendumque liberrime relinquens, incidit non ingrata suggestionem eius, qui sensus & corda nostra illuminat, memoria vise cuiusdam ordinationis Episcopalis aut Diplomatis S. ERPHONIS, Mimigardesfordensis Episcopi, in Abbatia Seculari Fricconhorstensi, Serenissima Celsitudinis Vestre Diocesis MONASTERIENSIS: huius occasione me Historie, quantum dolor & infirmitas patiebatur, tradidi, ac manuscripta quedam, impressosque Auctores adferri curavi, atque ex ijs Vitam S. ERPHONIS, tum quidem ruditer collegi, postea vero restituta aliquantulum valetudine, ac redeuntibus viribus successiuis horis, quando ab alijs occupationibus vacare, meumque, quod inestimabile donum dicit Seneca, fieri licuit, in meliorem partem ordinem, redigere conatus fui.

Quisquam quamuis exigua lucubrationis mee, quod Serenissimam Celsitudinem Vestram Clementissimum Patronum ac Defensorem Potentissimum, humillime inuocem illamque Serenitati Vestre deuotissime consecratam esse velim, & cupiam, duae potissimum me mouent rationes; quemadmodum enim vterque, scilicet S. ERPHO, & Serenitas Vestra Imperialis ac Regij sanguinis Prosapia coruscat, ita etiam eidem Sanctae Ecclesiae praesse, ac uni





insidere Cathedræ, quamuis post aliquot seculorum interuallum, vtrumque Deus voluit.

Vos quoque, Reuerendissimi & Illustres Domini, præterire non potui, sed pariter Patronos adsciscere humiliter volui, tum quod vnum cum Serenitate suâ, clementissimo Principe & Episcopo nostro, corpus constituatis, tum quod S. ERPHO, Illustris & Reuerendissimi Capituli Vestri Cathedralis quondam caput in terris extiterit, qui cum Deo & Ecclesiæ militans, membra sua, Capitulum inquam Vestrum, singulari pietatis ac charitatis affectu persecutus fuerit, eundem modo in cœlis triumphantem à corpore suo, quod tantoperè in terrâ dilexit, separare non debui, tum denique quod iam ab aliquot annis Reuerendiss. & Illustrib. Dominat. Vestris, omnes labores meos, ita consecrauerim, vt exinde illis aliquid subtrahere religioni ducam.

Suscipe igitur, Serenissime ac Eminentissime Princeps, clementissimo, quo soles, humillimè oblata vultu, hanc quantulamcunque lucubrationem meam, & ne me meosque Sere no gratiarum Tuarum imbre clementissimè irrigare desinas, supplex rogo.

Vos etiam, Reuerendissimi, Illustres & gratiosi Domini mei, benigno & hilari accipite animo, Vestrum quem Vobis, in vmbra saltem aliquâ offero ac præsentio Episcopum Virum Sanctum, & Ecclesiæ Cathedralis Vestræ decus immortalis, simulque me fauore & gratiâ Vestrâ, vti hucusque, sic & impostertum prosequi, non desistite.

Interim, Serenissimæ Celsitud. Vestræ, ab Omnipotente Deo, tantam fœlicissimi regiminis humillimè precor abundantiam, vt  
immen-

immensum miseriarum, & malorum temporum (in quæ, pro dolor, incidimus) mare, ita tranquillare, ac ventis catenatarumque ærumnarum nostrarum seuenti Pelago, suâ providentiâ, prudentiâ consilioque, per Dei gratiam, tam fortiter imperare ac auxiliando subuenire possit ac valeat, vt populo Serenitati Vestre concredito ac fideli aliquando extremam naufragij luctam superare ac tandem eluctari detur; Quod omnes Serenitatis Vestre fideles & subiecti, ex animo humillimè vouent & cupiunt, atque vt fiat, Deum Omnipotentem incessanter, & deuotissimè precantur.

Prout & Vobis, Illustres & gratiosi Domini mei, ab Omnipotente Deo fœlicissima quæque humiliter precor, & vt Vos totius Patriæ, & Ecclesiæ Vestre bono, quam diutissimè conseruet, ex animo precor & voueo. Dabam è Tusculano meo nuncupato Xumphorst/ propè Telgetum Diocœsis Monasteriensis, 4. Calend, Nouemb, Anno Dominicæ Incarnationis 1648.

Serenissimæ Celsitud. Vestræ,

Nec non

Reuerendiss. & Illustr. DD. Vestrar,

Humillimus & subiectissimus

ac

Humilis & deuotus seruator ac cliens

ALBERTVS Boichorst D.

A1-



### Altera Epistola Dedicatoria.

ADMODVM REVERENDIS & PRÆNOBILIBVS,  
CLARISSIMIS, EXIMIIS AC DOCTISSIMIS  
DOMINIS,

- D. Arnolfo à Bitinghoff / condicto Schell / Præposito.
- D. Francisco ab Uscheberg Decano.
- D. Iodoco Waltero ab Uscheberg Scholaſtico.
- D. Ioanni Casparo Bertenhoff Cellerario,
- D. Ioanni Friderico Plönies Theſaurario.

Reliquiſq; Capitularibus & Canonicis inſignis  
Collegij & Capituli S. Mauritij extra muros.

### Dominis & Patronis meiscolendis.

Admodum Reuerendi & Prænobiles, Clarissimi,  
Eximij & Doctissimi DOMINI.



Indicias metuebam, ſi illud, quod jure quodam ſingu-  
lari veſtrum eſt, vltro non offerrem; Vitam, inquam,  
S. ERPHONIS Episcopi, Patroni veſtri & Funda-  
toris

toris secundi; cuius sacrum corpus, uti apud Vos, & in Ecclesiâ  
 Vestrâ quiescit, Vosque eius monumentum quotidie corporis o-  
 culis aspiciatis, ita & Sanctam eius conuersationem & vitam,  
 dum ageret in terris, ex hoc, quamuis rudi libello, tanquam in  
 speculo aliquo, mentis Vestre oculis quotidie obijcere, non inter-  
 mittite. Saluete, valete, viuite multum, longum fœliciter, & in-  
 terim me fauore Vestro prosequi non desistite. Dabam è Tuscu-  
 lano meo nuncupato Rumphorst / propè Telgetum Diocæsis  
 Monasteriensis, 4. Calend. Nouemb. Anno Dominicæ Incarna-  
 tionis 1648.

**Admodum Reuerend. Prænobil.**

**Clarissimar. & Exim. DD. Vestrar.**

**Officiosissimus**

**ALBERTVS Boichorst D.**

**B**

**PEN-**

## DECASTICHON PARÆNETICVM

Ad Authorem.

**V**T licet exerto metiri ex vngue Leonem  
 Cernere, & è ductâ lineâ Apellis opus,  
 Sic, ALBERTE, Tui primo hoc molimine vires  
 Metior Ingenij, cernoque Apellis opus.  
 Inclyta hic ERPHONIS, docto conscripta libello  
 Vita omni Clero panditur & populo.  
 Præfulis æta sacri primus, Solymæaque Diui  
 Bella Ducis, modo post secula quinque refers.  
 Maeste animo, claraeque pari virtute reclusis  
 Heroum vitas, erue ruderibus.

Ioannes Fridericus Plônies Thesaurarius & Canonicus Sancti  
 Mauritij, qui supra affini suo, Authori accinebat.

A L I V D:

**H**Atenus ERPHONIS paucis fuit agnita virtus,  
 Præfulis & latuit gloria, vita, decus,  
 Pandit vbi ALBERTI calamus monumenta; renidet  
 Latiùs egregio lumine vita viri,  
 Vita viam populo monstrans virtutis avita,  
 Pastorale tenens inuiolata decus.  
 Præfulis ergò Tuo notescat vita labore  
 Possit vt à serâ posteritate legi,  
 Quo simul ipse Tuum reddes memorabile nomen,  
 Et facies auidis Te superesse rogis.

Charissimo fratri suo ALBERTO I.V.D. congratulans  
 ponebat Ioannes Wilhelmus Boichorst I.V.D.

SY-

## S Y N O P S I S

## V I T Æ

## S. E R P H O N I S.

**E**RPHONIS mihi dat stirps Meckelburgica nomen  
 Presulis ipsa sacrum dat Mimigroda pedum.

Mauritij insignem Fridericus Episcopus Ædem  
 Struxit, & hanc alter fundo, struoque Nepos.

Martis ad arma vocor, Solymæis arcibus hostem  
 Expello, iussu Sedis Apostolicæ.

Cum cruce signatis miles crucis, alma Sionis  
 Reddo triumphator mœnia cœlicolis,

Committas mihi Pastor oves post bella reuiso,  
 Quâ Mimigardiacos alluit Alpha lares.

Militis atque Sacerdotis me munere functum,  
 Euocat è terris in sua regna Deus.

Hocce loco & tumulo nostra ossa reposta quiescunt,  
 Corporis hac cineres Clerus in æde colit.

Si nostram vis, Lector, opem, suspiria funde,  
 Cordis contriti, munera, vota, preces.

## In honorem S. ERPHONIS

Ioannes Fridericus Plönies Canoni-  
 cus & Thesaurarius S. Mauritij  
 componebat.

## P R Æ F A T I O

Ad Lectorem.

BENEVOLE LECTOR.

**N**E te constitutio aut Bulla V<sup>R</sup>BANI Octau<sup>i</sup> Summi Pontificis, Anno 1625. 4. Aprilis Romæ publicata & affixa, suspensum teneat, aut deuotionem tuam, cultumq; , Dulix inquam, erga S. ERPHONEM aliquatenus imminuat, ipsius Bullæ ac Constitutionis Pontificiæ exemplar præmittere volui, ex cuius §. 4. *Declarans, &c.* manifestè habes Sanctissimam Sedem Apostolicam, nec Sancto ERPHONI, nec alijs eiusmodi Sanctis in aliquo præjudicare voluisse: sunt autem Bullæ aut constitutionis eiusmodi, verba sequentia,

*Feria 5. die 13. Martij, Anno à Natiuitate Domini  
nostri Iesu Christi 1625.*

**I**N generali Congregatione S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis habitâ in Palatio in Vaticano coram S. D. N. D. V<sup>R</sup>BANO Diuina Prouidentia Papa VIII. ac Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. S. R. E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus, à Sanctâ Sede Apostolicâ, specialiter Deputatis.

Sanctissimus D. Noster sollicitè animaduertens abusus qui irreperunt, & quotidie irrepere non cessant, in colendis quibusdam, cum Sanctitatis aut Martyrii sandæ, vel opinionis, defunctis, qui etsi neque canonisationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apostolicâ Sede, eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Ecclesijs alijsq; locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis aut radijs, seu splendoribus, proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaq; beneficia

cia à Deo, per eorum intercessionem, accepta in libris rerum ab ipsis gestarum, enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ, ad beneficia accepta testificanda, & lampades & alia lumina, apponuntur.

§. I. Volensque proinde huiusmodi abusibus, pro debito Officij Pastoralis, occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reuerendiss. DD. Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem in vniuersâ Republicâ Christianâ generalibus Inquisitoribus, communicatâ, & maturè consideratâ ac discussâ, declarauit, statuit & decreuit, ne quorumuis hominum, cum Sanctitatis seu Martyrij famâ (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines, aliæque prædictæ, & quodcunque aliud, venerationem aut cultum præferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs, tam Sæcularibus quam Regularibus, cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis, apponantur, antequam ab Apostolicâ Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sint,) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.

§. II. Ac pariter imprimis de cætero inhiuit, libros eorundem hominum, qui Sanctitatis siue Martyrij famâ vel opinione (vt præfertur) celebres, è vitâ migrauerint, gesta miracula aut reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentem, sine recognitione atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis, Theologos, aliosque pios ac doctos Viros, in consilium adhibeat, & ne deinde fraus aut error aut aliquid nouum ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat eiusque responsum expectet; Reuelationes verò, & miracula, aliæque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hætenus sine recognitione atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

§. III. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam ac inhiuit Tabellas, atque imagines è cerâ aut argento, seu ex alia quacunque materiâ, tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi, aut affigi, & lampades siue alia quæcunque lumina accendi, sine recognitione ordinarij, omnino, prout supra, faciendâ, Sedi- que Apostolicæ referendâ & approbandâ.

§. IV. *Declarans quod per supra-scripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit, ijs qui per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque, Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiam, Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.*

§. V. Vt autem præmissa diligentius obseruentur, vniuersis ac singulis, tam Ordinarijs quam hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, strictè præcipit, vt in suâ quisque Diœcesi, vel Prouincia sedulo peruigilent, ne sine approbationibus prædictis,



imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliæve contra superius disposita fiant.

§. VI. Transgressores verò, si Regulares fuerint, priuatione suorum Officiorum, ac vocis actiuæ & passiuæ, nec non & suspensionis à Diuinis; si verò Clerici Seculares, priuationis pariter suorum Officiorum, suspensionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectiuè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum seu Inquisitorum, pro modo culpæ, infligendis pœnis plectendo.

§. VII. Qui autem libros impresserint aut imagines pinxerint, sculperint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint, cæteri que artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque, etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorundem Ordinariorum seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

§. VIII. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

§. IX. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, vt decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset.

§. X. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac Sigillo alicuius personæ, in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ & ostensæ.

Ioan. Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

**A**Nno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto Indictione VIII. Pontificatus Sanctissimi D.N.D. Urbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno eius II. die verò quarta mensis Aprilis, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit, ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & acie Campi Floræ, vt moris est, per me Brandimartem Latinum Sanctiss. D.N. Papæ Cursorem, &c.  
Octavius Spada Mag. Cursorum.

**D**Einde, Amice Lector, ad vltiorem tui informationem minimè negligendam esse existimaui sententiam Lanfranci ex Abbate Cadomensi Archiepiscopi Cantuariensis, celeberrimi Scriptoris.

Ex commentario de Eucharistia contra Berengarium, cuius sequens est tenor.

**E**cclésiastica Historia, & Sanctorum Patrum gesta, tametsi illam excellentissimam auctoritatis

*toritatis arcem, non obtinent, quâ donata sunt Scriptura, quas Propheticas seu Apostolicas nuncupamus, hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles qui nos præcesserunt, à priscis temporibus habuerunt. Prout itaque ex historiâ, & Originalibus S. ERPHONIS intelliges, iam à sexto abhinc seculo, præcedentes nos fideles hanc, quam nos profiteamur fidem, in Westphaliâ nostrâ, & alibi tenuisse, ita & ad tui ipsius salutem, timoratè & prudenter iudica, quid de fide nostrâ Catholicâ tenendum, & annon antiquæ viæ, & semitæ à tot seculis tritæ, tutius inhærendum sit? Dicit enim Dominus, Ierem. 6. v. 16. State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

Sed dices. Tua isthæc lucubratiō fines professionis tuæ excedit, ideoque falcem in alienam messem misisse mihi videris. Respondeo, me non solum legum Ciuiliū (quamuis & illæ tractent de summâ Trinitate & fide Catholicâ, de Episcopis & Clericis, reliquiis Sanctorum & aliis) sed & juris Canonici Doctorem, quamuis immeritò, Anno 1625. Aureliis Galliarum promotum esse. Cum itaque Canonista ex professio agat, de reliquiis & veneratione Sanctorum, de celebratione Missarum, de summâ Trinitate & fide Catholicâ, ac aliis quam plurimis merè spiritualibus, quomodo me professionem meam excessisse iure statues, quod vitam vnius Sancti, & quidem ruditer abruptis horis, collegi? præsertim cum textus Sacræ Scripturæ, primis saltem labris delibatos, & Sanctorum Patrum dicta perfunctoriè degustata, non vt Theologus, sed vt Canonista, huc adferam, quod in Canonibus & Doctoribus desuper commentantibus, minimè nouum esse, passim reperies.

Historiæ autem studium, tantum abest, quod fines Professionis Iurif-  
 Consulti excedat, vt etiam eius Professioni, vel maximè conueniat, ideoque histori-  
 arum tam leges Ciuiles, quam Canones Ecclesiastici sæpius meminerunt,  
 l. 2. §. eodem tempore 10. & multis seqq. ff. de Orig. jur. l. in Questionibus ff. ad L. Iul.  
 Maiest. vbi Salustij historia inferri videtur, & in §. 1. in fine. Instit. de donat. c. fin. dist. 9.  
 & Gloss. in c. cæterum in verbo Græci, & c. ead. distinct. quin imò Iudex potest decidere  
 causam, moueri que ex libro Historiarum ad credendum, Bart. in l. 1. ff.  
 Si certum petatur, vbi & alij, Felin. in c. ex parte 1. num. 49. de re-  
 script.

Vides itaque me terminos Professionis meæ neutiquam excessisse, neque  
 falcem in alienam misisse messem, salue & vale.

VITA

V I T A  
S. E R P H O N I S  
M I M I G A R D E F O R D E N S I S

A V T  
M I M M I G E R N E F O R D E N S I S,

N V N C  
M O N A S T E R I E N S I S E P I S C O P I

in ordine & numero

S E P T I M I D E C I M I.

C A P V T P R I M V M.

*De familiâ, Parentibus, & Anno natiuitatis*

S. ERPHONIS.



ERPHO ex Illustrissimâ ac antiquissimâ familiâ Meckelburgensi (quam communiter Magnopolensem, aut Megapolitanam, sed ineptè, iuxta Cluuer. *introduc. in Geograph. lib. 3. §. Meckelburgensis Ducatus, &c.* nominant) Christianis tamen, etiam illâ tempestate, parentibus ortus fuit.

Bilug enim, ut rem hanc aliquantò altius repetam, siue Billungus Ariberti filius, Herulorum ac Wandalix Obotritorum (sub quibus & Magnopolensis, aut Meckelenburgensis, istis temporibus magna & ampla Ciuitas & ditio comprehensa fuit attestante id palam *Crantzio VVandal. lib. 3. cap. 1. in fine, hisce verbis, In Magnopoli verò, quæ fuit inclita Obotritorum Ciuitas, tres fuisse congregationes Deo seruientium referuntur,*) Potentissimus Regulus aut Princeps, qui ditionem suam à Vistulâ fluuiio vsque ad Visurgim, & à Viadro ad Holsatiam vsque siue Nordalbingiam extendens, Wandalis & Sarmatis, longè lateque imperitauit, & Megapoli sedem suam habuit, Wagonis tertij Aldenburgensis Episcopi sororem, Teutonicam inter Wandalos commorantem, sceminam speciosam deperiens, illius

illius coniugium à fratre Episcopo petiit & obtinuit, ex quâ quatuor suscitauit proles, nimirum Mizislam, Naceon & Sederich filios, nec non Hodicam filiam; Bilug autem Deo, & affini suo Wagoni infidelis, non solum in gentilitate, instar canis ad vomitum redeuntis, perseverauit, sed etiam eundem affinem suum Episcopum fraudulentissimè circumuenit.

Patre Bilug, siue Bilungo mortuo, sub filiis eius, Regni & Principatus sui Successoribus, quibus etiam ditionem suam amplissimam partitus est, Pax continua fuit, vsque dum Mizisla Obotritorum Princeps Christum palam confitens, clam tamen Christianos, & Ecclesiam Christi persequens, ac tandem manifestè erumpens, multa mala & damna Ecclesiis Catholicis, & Christianis in Wandaliâ tum temporis existentibus, inferret, qui Anno Domini 909. defunctus reliquit filios, Principatus sui Successores, Mistivvoi & Mizzidrag; quorum ductu, seditio Wandalorum inflammata, ac illâ latius serpente Christiano-Catholici grauissimè persecuti fuerunt: Sed Mistivvoi circa vltima vita tempora, factorum pœnitentiâ ductus, & ad cor reuersus, cum nollet Christianitatem deserere, pulsus patriâ ad Bardos, intellige Saxones, concessit, ibique fidelis consenuit & finiuit. Bardorum vicum appellant Bardeuick. Mortuus est autem Mistivvoi Anno Christi 1025. Imperij & Ducatus sui Successores relinquens tres filios, Anatrog, Gneum & Vdonem malè Christianum nuncupatum, Vdone, à quodam Saxonum transfugâ, improuise confosso, eius filius Godeschalcus, primo quidem magas Christianorum edidit strages, sed paulò post miraculosè omninò conuerius, Christi fidem sedulò propagare, & dirutas ac deuastatas Dei Ecclesias restaurare, nouasque ædificare pius & Catholicus Princeps non intermisit, ac adeò feruidus Catholicæ fidei cultor extitit, vt Martyr Christi fieri meruerit, quod sequentibus verbis attestatur, *Crantz. VVandal. lib. 3. cap. 4. tam VVandali frei temporum opportunitate, quod Rex puer non formidaretur, Duci suo rebellionem ostenderunt; principium autem malorum à capite ordiuntur, nam religiosum Principem, sui generis Godeschalcum, dum conuersioni & saluti sue gentis, cum Episcopo Ioanne vigilantissimus instaret, VVandalorum primores inuitâ conspiratione in Ciuitate Leontio, & iuse vocant, crudelissimè trucidârunt, virum omni auro memorabilem propter fidem Deo & Principibus seruata.*

Contigit autem huius Godeschalci, aliorumque Martyrium Anno 1065. vti ex Adamo rerum Aquilonarium Historico, Canonico Bremensi, & inter eius Ecclesiæ Clericos matriculario, refert Spondanus.

Godeschalcus duos è duabus vxoribus post se reliquit filios; è priori quidem Poloniae Regina, Buthue, è posteriori autem, quæ fuit filia Kanuti Danicæ Regis, Henricum.

Buthue primogenitus, & legitimus Patris sui heres ac successor, Regulus

C

Obotri-

Obotritorum 32. Dynasta Megapolensium, & Wagriorum, Wandalis ad Critonem, Vdonis malè Christiani, ex Grimio filio nepotem, deficientibus, iterumque rebellantibus expellitur: sed à Saxonibus in auxilium vocatis restitutus fuit; iterato autem expulsus, ad Ducem Saxoniae Magnum confugit, ac impetratis ab eo, Bardorum, Stormatorum, Holsatorum atque Thietmarsiorum auxiliis ad Plünensis praesidij, suamque ipsius deditioem, cum Bardorum fortissimis, miserè periit. Vti hæc omnia pluribus commemorat *Crantz. lib. 2. VVandal. cap. 40. 42. 46. 47. & lib. 3. cap. 1. 4. 5. 6. & 7.* & *Elias Reusner: in opere suo Genealogico Catholico sub stirpe Hercula,* quo breuitatis amore, curiosum lectorem remittere debui.

Habuit autem hic Buthue vxorem è Principibus Saxoniae Hiltegardim nomine, Ducissam Saxoniae & Lüneburgi, contigitque eius caedes circa Annum Domini 1067. Henrico IV. vt tradit *Crantz. VVandal. lib. 3. cap. 10.* ex ephebis euadente, quod circa illa tempora contingere debuit. Porro cum Henricus frater eius, Sclavinam Critonis viduam vxorem duxerit, & filios genuerit Mistivvoi & Waldemarum, *idem Crantz. VVandal. lib. 3. cap. 19. & 23.* Ideo Buthue Obotritorum Wandaliae Ducem, Principem Christianum, Godeschalci Martyris filium S. ERPHONIS patrem fuisse, non leuibus ad id permotus rationibus, existimo; matremque Hiltegardim Saxoniae Principem, Frederici Mimigardefordensis Episcopi, sororis Gertrudis, Ortholphi Saxoniae Principis & Dynastæ Lüneburgij vxoris, filiam, atque ita eius proximam agnatam. Quo autem Anno S. ERPHO natus sit, nulli bi inuenitur, sed cum in principio Anni 1086. Episcopus ordinatus fuerit, vti alibi manifestè à nobis probatum est, ac praeterea antiqui sacri Canones statuerint, quod etiam tum temporis strictissime in Ecclesia obseruatum extitit, ne quidem Presbyterum ante Annū 30. completum ordinandum, *distinet: 78. per totam,* & Episcopum consecrandum plures annos, quam 30. completos, illa ætate habere debuisse planè credendum sit; ideo necessariò statuendum & inferendum est, S. nostrum Anno 1055. ad minimum, aut ante natum fuisse; maiorem autem annis extitisse facillimè mihi persuadeo, eo quod illo seculo, non nisi iustissimæ, & iam ingrauescentis ætatis, diu exercitati, probatique viri, ad dignitates Episcopales admitti consueuerint, quod euidentissime probat lex ordinandorum Siricij Papæ, quam recitat D. Martinus Peresius Aiala, Guidixiensium Episcopus & S. Theologiae Professor, in suo tract. de Diuinis, Apostolicis, atque Ecclesiasticis traditionibus part 3. sub tit. aut questione, an expediat cælibatus legem in Sacerdotio relaxari, est autem talis; *Quicumque Ecclesia se deuouerit obsequijs, à suâ infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectoris debet ministerio sociari, qui ab accessu adolescentie, vsque ad tricesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, & subdiaconus esse debet, posteaque ad Diaconi gradum, si se ipsum primitus voto continentie præeunte, dignum probauerit, accedat; vbi si vltra quinque*  
annos

GENERAL REPORT

1875

The first of the three parts of the report is a general survey of the progress of the work during the year. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.



The second part of the report is a detailed account of the work done in each of the departments. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.

The third part of the report is a summary of the results of the work. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.

The first of the three parts of the report is a general survey of the progress of the work during the year. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.



The second part of the report is a detailed account of the work done in each of the departments. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.



The third part of the report is a summary of the results of the work. It is divided into three sections: the first, a general survey of the progress of the work during the year; the second, a detailed account of the work done in each of the departments; and the third, a summary of the results of the work.




# GENEALOGIA S. ERPHONIS.

Hic Bilag Wagonis Tertij Aldenburgenſium Epifcopi ſorens, ſæmi-  
nam ſpecioſam poſtulauit & accepit vxorem, tres procreauit filios & v-  
nam filiam. *Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 38 & 40.*

Bilag Obot-  
ritorum VV-  
ſalle Regu-  
is aut Dux.

Huius Bilag Illuſtris Principis, latiffimi fuere ditionis termini, à Wiſla flu-  
uio, quem Veteres Viſtulam vocant, per maritimos tractus peruenerunt in vi-  
cina Cimbrorum, *Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 40.*

Mortuus eſt hic Anno Domini 909,  
duos relinquens filios. *Crantz. VVan-  
dal. lib. 2. cap. 42.*




Hanc auunculus Wago Monasterio Virginum con-  
traditam, & Sacris literis eruditam, Abbatiffam  
præfecit Virginibus in Magnopoli, quod frater puel-  
læ Mizilla ægerimè ferens, illam è Monasterio, cui  
præerat, vi extraxit, & cuidam Boliflao inuitam, ſce-  
lerato iunxit coniugio, *Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 38.  
& 40.*

Hic in initio variis & multis Chriſtianos af-  
fecit perfecutionibus, ſed reſpiſcens  
pro fide exal mortuus eſt, Anno 1025.  
*Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 42. & 46. tres  
relinquens filios.*



Hic à quodam Saxonum transfugâ improuiſè conſoſſus, duos reliquit  
filios. *Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 46.*

Hic primùm à fide Chriſtianâ alienus exitit, ſed miraculoſè omnino  
conuerſus fidem Catholicam reduxit, ac Martyrio pro fide Chriſti  
coronari meruit. *Crantz. VVandal. lib. 2. cap. 46. & lib. 3. cap. 1.*



Buthue vxorem habuit Saxonie Principem, Hilde-  
gardium nomine, & Anno 1067. miſerè periit,  
*Crantz. VVandal. lib. 3. cap. 9. & Reuſner. in Geneal.  
Catholicâ ſub ſtirpe Herulâ.*



Hic Crito Vdonis malè Chriſtiani è Grimò nepos,  
occifo Godeſchalco, excluſiſque ipſius filiis, à re-  
bellantibus Obotritis Princeps conſtitutus ab  
Henrico Godeſchalci filio, Buthue Principis fra-  
tre ac Magno Saxonie Duce planè opprimitur &  
necatur; duxitque tunc Henricus Sclauinam, Cui-  
tonis Viduam, vxorem, ex quâ duos ſuſcitauit filios,  
Miſtiuui & Waldematum, *Crantz. VVandal. lib. 3.  
cap. 19. & 23.*



annos laudabiliter vixerit, & ministraverit congruè, Presbyterium consequatur: Exinde post decennium Episcopalem Cathedram potest adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ & fidei eius fuerit approbata.

NOTÆ

AD CAPVT PRIMVM.

1. De Bardevvico Saxonie quodam oppido vetustissimo, quod Henricus Leo Saxonie & Bavarie Dux, ob rebellionem destruxit, extat peculiaris tractatus Henrici Meilionij Lemgo- niensis, Professoris Historiarum in Academia Iulia Helmstadiensi. (☞)

2. Vt beneuolus Lector, S. ERPHONIS maiores, progenitoresq; facilius agnoscat, ac fa- licius memoriâ teneat, sibiq; inculcet, sequens Genealogicum schema, quoad sanguinem paternum, cum rationibus, vt hæc credam, me impellentibus, subiicere & adscribere è re fore existimaui. Maternum verò S. nostri sanguinem quod atinet, sciendum est Theodoricum Se- cundum Marchionem Landtspergensem, Comitem VVethini, Anno 1034. in proprio cubiculo confossum, ex Mathilde filia & herede Echardi I. Marchionis Misnie, septem procreasse liberos atque inter illos, Fridericum Episcopum Monasteriensem, eiusq; sororem Gertrudem, vxo- rem Ortholphi Saxonie Electoris & Dynastæ Lüneburgij. Reusner: in opere suo Genealogico & stirpe V Vitikindeâ sub stemmat: VVethinen: parte resid. & cum postmodû idem Reusner: sub stirpe Herulâ de Buthue Obotritorum Reguli vxore asserat illam Ducissam Saxonie & Lüneburgi, exinde aliud elici non potest, quam fuisse filiam Gertrudis, Duci Saxonie & Lüneburgi nupta, in quâ sententiâ, me maximè confirmat ipsa annorum & historie har- monia. Fuit itaq; S. ERPHO ex materno genere Theodoricæ II. Comitis VVethini abnepos, Frederici sororis nepos, adeoq; ipse Fredericus eius auunculus magnus.

Quemadmodum ergo fortes creantur fortibus, & pijs probisq; maioribus plerumque sancti nascuntur, aut sanctè certè educuntur nati & nepotes, virtute parentum cum san- guine in posteros fluente, ita etiam tritauo, auo ac patre, nec non matre Saxonica, Chri- stianis & Religiosis profectò genitoribus ortus S. ERPHO, & à cognato Friderico Episco- po, suo Antecessore, post miserandum patris sui interitum, ac cum vitâ amissum Principa- tum, Christianè & Catholicè omnino educatus, maiorû suorum sanctitate & virtutibus, in ipsum cum sanguine defluentibus, sanctam Dei Ecclesiam, pius & Zelosus Prasul, bonusq; Pastor plebis, accedentibus proprijs virtutum suarum meritis, & admirandâ vitæ sanctitate condecorare, & illuminare meruit. Quod autem ferè indubitatum esse existimem, Buthue, Obotritorum Principem S. nostri patrem fuisse, ad id me sequentes impellunt, inducuntq; rationes. Primò, quod annus & tempus vitæ ac mortis Buthue Obotritorum Princi- pis, illud manifestum faciant, & quasi planè euincant, ille enim Anno 1067. mise- rè interijt, & cum Anno 1055. aut paulò ante S. nostrum natum esse, superius de- monstrauerim, consequenter dicendum erit, illum tempore obitus sui patris, annum circiter 12. egisse, aut paulò maiorem natu fuisse. Secundò, quod mater ipsius fuerit Princeps



Saxonia, que profectò Friderici Episcopi ex eodem sanguine & familia nati, eodemq; tempore viuentis aut soror aut proxima agnata esse debuit, nimirum, vti supra demonstraui-  
 mus, sororis filia; considerato vel maximè, quod illà etate nullus Obotritorum Princeps Sa-  
 xonicam coniugem habuerit, præter vnicum Buthue Saxonibus summè familiarem, & ab il-  
 lis aliquoties adiutum: Henricus enim Erphonis patruus Cratonis per rebellionem Obotrito-  
 rum fasti Principis, à se debellati occisq; viduam Sclauinam duxit vxorem, atque alius Obo-  
 tritorum Princeps Catholicus illo tempore non fuit. Tertio, quod circa illud tempus Frideri-  
 cus Imperatoris Henrici Cancellarius extiterit, qui absque dubio Patre Erphonis miserè occi-  
 so, ac amissis cum vita fortunis omnibus, cognatum suum orphanum educandum suscepit,  
 prout & ipsum postea in suam Episcopalem assumpsit familiam. Quarto, quod Magnus  
 Saxoniae Dux, insurgentibus iterum contra Henricum VVandalia Principem Obotritis, ab eo  
 vocatus in auxilium, VVandalos planè debellauerit & subegerit, ac paulò post Magno Sa-  
 xoniae Ducate absque prole masculà mortuo Luderus Comes, postea Lotharius Imperator, Sa-  
 xoniae Ducatum ab Henrico Imperatore obtinuerit, fueritq; mortuo S. ERPHONE Dux  
 & causa cladis incendijsq; Monasteriensis, vt ita cum hæc omnia, quoad tempora conueniant,  
 alium S. nostro Patrem adsciscere nequeam. Interim libera esto desuper cuiusuis, cum ratio-  
 ne censura; Censorem autem meminisse cupio, rectè monere Crantzium VVandal. lib. 3.  
 cap. 16. in fine. Nos luere damna incuriosa vetustatis, quæ nobis pauca reliquit, ad memo-  
 riam sue veritatis.

C A P V T S E C V N D V M.

De Friderico Episcopo, S. ERPHONIS in Cathedra  
 Monasteriensi Antecessore.

ERPHO itaque Buthue Christiani Principis filius, & Godeschalci Martyris  
 nepos, in Episcopatu Mimigardefordensi, nunc Monasteriensi, Antecesso-  
 rem habuit, sæpius nominatum Fridericum, eius nominis primum, Marchio-  
 nem Misniæ cognatum suum, virum & Antistitem summè deuotum, pium &  
 exemplarem, ac erga sanctas Dei Ecclesias profusè, & supra quam credi facile  
 queat, liberalem, de quo sequentes antiqui versus adhuc circumferuntur.

Omne tulit punctum, Fridericus, amore bonorum,  
 En Fridericus ego, largè mea prædia lego.

Sub Episcopo Roberto Ciuitatem Mimigardefordensem peregrinus transiens,  
 vidensque honestatem morum, Clericorum ac Ciuium, per aliquod tempus ibi-  
 dem moram traxit, ac honestè benigneque tractatus Præbendam in Ecclesiâ Ca-  
 thedrali, ob præclaras rarasque virtutes suas obtinere meruit, & tandem post  
 mortem Roberti Episcopus factus, quamprimum multa bonâ Ecclesiæ contulit,  
 ac S.

ac S. Pauli, (à S. Sviberto huic Diœcesi & Episcopatu, iuxta testimonium S. Marcellini in vita Sviberti cap. 25. in fine, circa Annum Domini 697. designati Patroni) honorem mirificè augmentavit.

Inter alia ipsius admiranda & laudabilia pietatis erga Deum opera, illud eximium & excellens est, quod Collegium S. Mauritij extra muros, de suo patrimonio assignando & dando eidem in patrimonium & hæreditatem, plusquam viginti villicationes 2. fundauerit, & in honorem eiusdem Sancti & sociorum Thebaorum militum, Ecclesiam magnificam extruxerit, vt in vertice lapidis ipsius sepulchralis modo renouati, sed antehac furore Anabaptistico Monasterij sæuiente, rupti & diruti, sculptum inuenitur ac legitur. 3.

Huius tam Pij, deuori ac liberalis ex Illustrissimâ Marchionum Misnensium familiâ Antistitis Successor extitit S. ERPHO, dignus sanè, qui tanto tantarumque virtutum Præsuli succederet: ille enim non minus sanguine, & Illustri familiâ clarus quam vitæ sanctitate conspicuus, vestigiis cognati sui laudabiliter insistens, relictam eiusdem perillustrem & excellentem in Ecclesiâ Dei memoriam, per propria virtutum merita semper ac iugiter adaugere studuit.

### N O T Æ

#### AD CAPVT SECVNDVM.

1. *Fridericum primum, Mimigardefordensem Episcopum ex Illustrissimâ familiâ Marchionum Misnensium ortum esse certissimum est, prout & illud affirmant tam manuscripta, quam impressa, atque inuenitur in libro rubro insignis Collegij Mauritanij, olim, Anno 1492. per Dominum Bernardum Tegederum, eiusdem Collegij Scholasticum conscripto, sub tit. de Fundatoribus Ecclesiæ Mauritanæ folio eiusdem libri 49. pag. 2. ibi. Sciendum, quod tres Reuerendi Antistites Illustrissimi Principes sibi à Cesare & Imperatore datis bonis, prædijs, curtibus ac villicationibus, & proprijs patrimonialibus bonis fundarunt ac dotarunt Ecclesiam ac Collegium nostrum in honorem S. Mauritij & SS. Thebaorum Martyrum, vt esset primum post Cathedralis, sicut S. Gereonis Coloniensis post Metropolitanam, & sicut Xanthenensis Ecclesia, Coloniensis Diœcesis, in honorem S. Victoris, ita Dulmaniensis, Monasteriensis Diœcesis, in eiusdem & suorum Sociorum honorem dedicata est.*

*Horum enim Præsulum primus Fundator Collegij nostri fuit Frithericus Marchio Mitzenensis, qui contulit supra viginti villicationes in patrimonium & hereditatem S. Mauritio, & primus Templum hoc erexit, ac Ecclesiam fundauit, circa Annum Domini 1050. omnemque honorem, jurisdictionem, Priuilegia & libertates ad instar Cathedralis cuiusque donauit Collegio, &c. Rursus in eodem libro fol. 66. pag. 1. ibi. Primâ ab origine fundatio Collegiate Ecclesiæ Sancti Mauritij & Thebaorum Martyrum, in subvrbio Monasteriensi, per Fridericum Illustris Marchionem Misnensem, ac Diuum Erphonem Magnopolensem, Monasterienses Episcopos eiusdem Fundatores, erecta & dotata magnificè. Præpositura nostra*

domo, clauſtro ac immunitate ipſa cum porticu, ac Sacello S. Blaſij paulo poſt à Burchardo Preſule adiectis ornatiſſimè, Item in eodem libro fol. 112. pag. 2. ibi, Vnde aduertendum, quod Eccleſia noſtra S. Mauritij extra muros Monafterienſes fundata eſt, per Frithericum Episcopum Monafterienſem natum de Mitzena. fratrem Illuſtris Marchionis Miſnenſis, & dotata curtibus & bonis hereditarijs diutaxat, ac villicationibus, quæ vulgariter Schulengüter vocantur.

Atque vt maniſteſtius euadat, omni omnino carere dubio Fridericum è Marchionum Miſnenſium familiâ ſuam traxiſſe originem & ſanguinem, proximos illius genitores hiſce adiungere operæ pretium viſum fuit. (S S)


His omnibus aſtipulantur ea, quæ de Episcopo noſtro Friderico, Petrus Cuthemius in Saxoniâ Catholica pag. 187. ſub tit. de Fritherico Episcopo Monafterienſi tradit, videturq; Reuſnerum ſecutus, vbi ſequentia habet verba. Accedant huic, duo alij eiusdem ferè temporis Episcopi Fridericus Dieterici II. Marchionis Landsbergenſis, à quo Duces Saxoniæ Electores & Principes hodierna familia VVitikindea rectâ descendunt, filius, Episcopus Monafterienſis, cuius Cinitatis Mœnia inſtaurauit, & eodem S. Mauritij, vbi & ſepultus eſt, condidit: Item & illa, quæ idem Cuthemius, in eodẽ libello ſub tit. de Conrado Magno pag. 181. aſſerit, nimirũ quod Conradus Magnus qui & pius cognominatus eſt, Thimaniſ filius, Dieterici II. ſupradicti nepos, primus ſui ſtemmatis à Caſare Lothario II. Marchio Miſnie inueſtitus ſit, Anno 1126.

Illud autem tam ex ſuperius designatis Friderici proximioribus genitoribus quam ex eodem autore Cuthemio maniſteſtum euadit, quod Fridericus Episcopus fuerit familiæ VVitikindea, ex quâ hodierni Duces Electores Saxoniæ rectâ descendunt, prout etiam Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Elector Saxoniæ, Marchio Miſnie, &c. Dominus, D. Ioannes Georgius, qui noſtris adhuc temporibus laudabiliter rerum potitur, Friderici Episcopi agnatus exiſtit, & per lineam maſculinam à Patre & fratre illius indubitatè generoſiſſimum ſuum vereq; germanum trahit ſanguinem. Huius, inquam, tam auiti & generoſi ſanguinis ac laudatiſſimæ familiæ VVitikindea, ex materna lineâ etiam fuiſſe S. ERPHONEM temporis & hiftorie conſonantia demonſtrat; nimirum Friderici ſororis è Duce Saxoniæ filia, Buthue Obotritorum Regulo & Dynaſta, aut Comiti Meckelenburgenſi nupta filium, Præterea & hic obſeruatu dignum videretur, Fridericum I. Episcopum Mimigardefordenſem fuiſſe præpotentiſſimus Bremeniſis ArchiEpiscopi Alberti, è Palatinis Saxoniæ oriundi, patruelem: parens enim Alberti, Fridericus I. Saxoniæ Palatinus, Theodoricus II. VVettini Comitis, Friderici Episcopi patris, frater exiſtit.

Prout & illud prætereundum non fuit, quod idem Fridericus Metropolitana Eccleſiæ Magdeburgenſis Præpoſitus fuerit, vbi etiam in ArchiEpiscopatu, Engelhardo Anno 1063. defuncto, Capituli ſtudio ſucceſſor designatus erat, niſi S. Annonis Coloniensis ArchiEpiscopi frater illi prælatus fuiſſet, vti habet Reuerendiſſimus ac Illuſtris D. Bernardus à Mallinckrodt, Cathedralis Eccleſiæ Monafterienſis Decanus, &c. Colendiſſimus Dominus, ac Patronus meus, in ſuo eleganti, & ad amiſſim elaborato tractatu, de ArchiCancellarijs & Cancellarijs Sac. Imperij

Romano-


# GENEALOGIA D. FRIDERICI EPISCOPI.



&  
 dotalitio jure Marchio Misnie; quamvis ipse nec ditionem, nec insignia; sed filius eius Timo morte præventus tantum insignia acceperit. Conradas verò primus sui Stemmatissà Lothario Cæsare Marchio Misnie inuestitus est Anno 1126.

qui nunc dicitur Monasteriensis, in ordine & numero XVI. antea Præpositus Magdeburgensis, Henrici IV. alijs Tertij, Cancellarius, è Ducibus Saxonie, & sanguine materno Marchio Misnie, Reusner. in Genealogiâ Catholicâ.

D. FRIDERICI EPISCOPI  
GENEALOGIA



Genealogia Carolinae  
Carolus X. Imperator  
Carolus XI. Imperator  
Carolus XII. Imperator  
Carolus XIII. Imperator  
Carolus XIV. Imperator  
Carolus XV. Imperator  
Carolus XVI. Imperator  
Carolus XVII. Imperator  
Carolus XVIII. Imperator  
Carolus XIX. Imperator  
Carolus XX. Imperator  
Carolus XXI. Imperator  
Carolus XXII. Imperator  
Carolus XXIII. Imperator  
Carolus XXIV. Imperator  
Carolus XXV. Imperator  
Carolus XXVI. Imperator  
Carolus XXVII. Imperator  
Carolus XXVIII. Imperator  
Carolus XXIX. Imperator  
Carolus XXX. Imperator

Genealogia Carolinae  
Carolus X. Imperator  
Carolus XI. Imperator  
Carolus XII. Imperator  
Carolus XIII. Imperator  
Carolus XIV. Imperator  
Carolus XV. Imperator  
Carolus XVI. Imperator  
Carolus XVII. Imperator  
Carolus XVIII. Imperator  
Carolus XIX. Imperator  
Carolus XX. Imperator  
Carolus XXI. Imperator  
Carolus XXII. Imperator  
Carolus XXIII. Imperator  
Carolus XXIV. Imperator  
Carolus XXV. Imperator  
Carolus XXVI. Imperator  
Carolus XXVII. Imperator  
Carolus XXVIII. Imperator  
Carolus XXIX. Imperator  
Carolus XXX. Imperator

Romano-Germanici sub Henrico IV. cognomento Seniore, S. Guibertum igitur, &c. Interea mirum non est, cum illic, Magdeburgensis, inquam, Ecclesia S. Mauritius ex primâ fundatione Patronus sit, quod in illius S. honorem, Fridericus postmodum in hac Diœcesi, ipsius cura ac inspectioni conceditæ, Ecclesiam nouam construxerit ac fundarit.

Cum superiori seculo monumentum & sepulchrum huius Venerandissimi dignissimiq; Præfulis, Friderici inquam, aperiretur, quæ sequuntur inuenta sunt.

Anno salutis humane 1576. ipso die S. Urbani Papæ, qui 25. dies Mensis Maij extitit, Cenotaphium ac sepulchrum Reuerendissimi in Christo Patris, & D. Friderici, ex Illustri Marchionum Misnensium familiâ oriundi, Episcopi Monasteriensis XVI. ac Collegij huius ad S. Mauritium Fundatoris, optimè meriti, antea furijs perditissimorum hominum, & fanaticorum hereticorum Anabaptistarum, Urbem Monasteriensem Anno 1534. occupantium, atque Ecclesiam hanc nostram incendio & ruinâ, euerentium ac conflagantium, inter tantas ruinas prorsus sublatum ac dirutum, ita quidem, vt vestigium atque adeo tam dignissimi Episcopi in nauis Ecclesie nostræ honorifice sepulti, reliquie, justis alicuius monumenti neutiquam, vt par esset, extarent, ac superessent, cuius rei indignitate Decanus & Capitulum huius Collegiate Ecclesie D. Mauritij commoti, noluerunt tam optimè meriti Episcopi sanctissimam memoriam, superiorum istorum temporum & hominum iniuriâ prorsus obsolescere. Effossâ igitur & eiectâ terrâ, ac amoto lapideo operculo, tumulum aperuerunt, & benignissimè in Ecclesiam Antistitis sacra ossa, quod mirum omnibus astantibus & presentibus accidit, suaueredolentia ac fragrantia in sarcophago de crassis & sectis quadratis lapidibus extructo, & vtrimque rubeis fictilibus lapidibus immurato, inuenerunt, & non sine magnâ admiratione, subsequentiâ in specie, ad perpetuam istius rei memoriam, descripta & annotata in specerunt, ac omnia & singula attenderunt & obseruârunt, considerantes subsequentiâ ibi reperorum sacra mysteria. Inprimis videlicet, hoc monumentum bono zelo adaperitum, representabat, ipsam Reuerendam humani sui corporis, quod in hac lachrymarum valle, ante quingentos & viginti quinq; annos traxit & egit, fabricâ, omniumq; articulorum & ossium compaginem, cratem luteam singulariter depictam & adumbratam. In rotundo illo excauato spatio, ad caput monumenti, admiranda auitæ pietatis & sinceritatis testimonia, suiq; Sacerdotalis ac Episcopalis dignitatis, venerandæ antiquitatis, ornamenta, Calicem nempe argenteum, cum sua patena repositum, Eleuato atq; præ admiratione calice isto adaperito, globus ex Iaspide (vti a peritis aestimabatur) torneatus inuentus est, habens & continens quadrato foramine auro annulum gemmâ Smaragdi exornatum, in sibi desponsatæ & vnicè dilectæ Ecclesie signum sic præcul dubio, religiosè positum. In patenâ super calicem Sacerdos Pontificalibus suis indutus, extensis brachijs & leuatis manibus, stans insculptus, appositis Græcis literis α. & ω. cum duobus signis crucis desuper insculptis, conspiciebatur. Adhæc Sarcophagus iste, ex grandibus & crassis lapidibus ita affabrè fabricatus fuit, vt nullam immunditiem vel putredinem admitteret. In præscripti, rotundi excauati spatij supramitate, Reuerendi nominis sui, huiusmodi literis inscriptio habebatur.

FRI-

## FRITHERICVS EPISCOPVS. ✠

Hisce quidem pramisso modo & formâ sic inuentis, eodem die & momento omnia & singula, prout in sacro tumulo inuenta, iterum reposita, ac tribus quadratis, magnis & crassis lapidibus, istius monumenti operculo, occlusa fuerunt. Annulum verò aureum Smaragdo insignitum, ob veneranda antiquitatis memoriam, nec non eiusdem singulare mysterium multis de causis asseruandum arbitrati, & prefatis rationibus adducti, ex eodem tumulo exceperunt. Iam vero in huius p̄ssimi Antistitis honorificam memoriam, eiusq; venerabilis sepulchri debitam & benè meritam reuerentiam, Decanus & Capitulum singulari consilio & bono zelo tam Reuerendum & Illustrem Episcopum ampliori & magnificentiori aliquo monumento valde dignum, non sine probabili ratione iudicarunt, eoq; nomine presens monumentum & Cenotaphium sumptu & arte sculptum ac fabrefactum, pro istius viri Dei, summis in Ecclesiam nostram meritis, deuotionis, gratitudinis & honorificentie ergò posuerunt, & collocarunt, D. Bernardo Schenckung Decano procurante.

2. Villicatio non est vnum tantummodo bonum, aut pradium, sed sunt plura diuersa bona aut pradia, sibi inuicem, sub vno capite, veluti Schulteto & Officiato, aliquantulum coherrentia; qui Officiatus aut Schultetus omnia illa bona possidet, aut tenet ad tempus vite sue tantum sub nomine Officiati aut Schulteti, & habet sub se multa & diuersa pradia, atque de iure communi feudali non aliter haberi aut intitulari solet, quam tenens ab Ecclesia Feudum improprium Guardie & Castaldie. Et quamuis de natura & proprietate huiusmodi feudorum, prout etiam Camera, Cauena, Cancellarie, Aduocationis, Soldate, procurationis & similia, speciatim, Deo dante, editurus sum tractatum, interim tamen hic informationis loco inserere volui, que in effectu de huiusmodi Villicationibus in antiquo libro Ecclesie S. Maurij inueniuntur, videlicet sequentiu. Primo, quod huiusmodi Schulteti Officiati aut Villici faciunt iuramentum fidelitatis consuetum in receptione talium honorum, iuxta ordinationem & constitutionem Ecclesiarum prestandum, & licet prestent iuramentum fidelitatis, non tamen habent bona huiusmodi iure homagii seu feudali, sed villicationis & vt villicus Domini, qui singulis annis rationem reddere tenetur. Secundo, iuxta jus commune aut consuetudines Feudales, Villicationes aut bona Schultetica, sunt Feudum Guardie & Castaldie, eo quod dantur nomine administrationis, & propter custodiam rerum Domini constituentis, atque ad percipiendos, colligendos & conseruandos fructus. Tertio, quod si Castaldus seu Villicus possidet rem aliquam à Domino, presumatur eam possidere occasione & nomine Officij, & non nomine Feudi proprij. Quarto, quod Villicationes seu bona Schultetica, quod idem est, sint vera hereditates Ecclesiarum, iure mere proprietatis & vtroque dominio directo & vtili pure & simpliciter ad suos Dominos & Ecclesias spectantes, quibus Ecclesie à principio sunt dotate, & steterunt in initio sub regimine & ordinatione personarum Ecclesie. Quinto, quod Villicus propter malam administrationem, aut dilapidationem, etiam si tantum vnâ arborem fertilem secuerit, quam in vtilitatem bonorum

non conuerterit, vel ob pensionem non solutam possit iure sibi locato priuari, nisi in gratiam Domini emendauerit, unde predicta bona, sunt bona & dos ipsius Ecclesie & Collegij, non Præpositi, licet eorundem administratio & cura spectet ad Præpositum Ecclesie, tanquam Oeconomum & dispensatorem. Sextò, quod si ex dictis bonis aliqua vasare contigerit, per mortem alicuius possessoris, Præpositus pro tempore, vnâ cum suo Capitulo, soleat & consueuerit eadem cum omnibus iuribus & pertinentijs suis, nec non oneribus, alteri personæ idonea concedere, conferre & pro libitu suo providere: sed vti sunt diuersæ Ecclesiarum consuetudines & obseruationes, ita etiam per hæc à me scripta, nemini in iure suo præjudicatum esse velim.

3. Leguntur autem in vertice dicti lapidis sepulchralis, sequentia.

Friderico Primo Mimigardfordensis, nunc Monasteriensis, Ecclesie XVI Præfuli dignissimo, ex Illustri Marchionum Misnensium familiâ, huius Collegij Fundatori, quod hanc ædem circa Annum salutis M. L. Deo Optimo Maximo ac S. Mauritio Patrono primus erexit, sui que funeris sepulturæ deuouit, memoriæ sempiternæ ergo positum, 1576.

Ego quidem hæc lapidi sepulchrali à pijs & deuotis Antecessoribus insculpta, prout etiam quondam Scholastici Tegederi scripta (cuius librum Kleinsorgius, eundem huius foundationis constituens annum, secutus videtur in Chronico suo Ecclesiastico VVestphal. manuscripto) carpere nolim. Interim veritatis ab alijs indaganda causâ, modestè & amicè admonere debeo; quoad Annum fortè errorem aliquem irrepisse, eo quod Anno 1063. Fridericus Fundator, nondum Episcopus Monasteriensis aut Mimigardfordensis extiterit, sed Henrici Imperatoris illo adhuc Anno Cancellarium egerit, vti tradit loco supra allegato D. Bernardus à Mallinckroth Decanus. Quod si itaq; coniecturis rem agere liceret, dicerem Ecclesiam S. Mauritij, Anno 1070. aut circiter fundatam ac adificatam; errorem verò hunc, post introductum apud nos, per cifras signandi numeros morem, inde causatum esse, quod in vetustissimis quibusdam scripturis, sculpturis & picturis numerum Septimum, ita signatum inuenias, vt alium quam quintum esse, vix aut ne vix quidem colligere queas; Interim & hic lectorem monere debeo, clarum & confessum esse, necdum ducentos effluxisse annos, ex quo barbaricus iste per cifras signandi numeros mos, ab Arabibus ad Christianos Europaos propagatus fuit.

### CAPVT TERTIVM.

#### De infantia, iuuenili ætate, & educatione S. ERPHONIS.

PORRò de infantia ac iuuenili ætate huius Sancti, nec in manuscriptis, nec impressis Codicibus quicquam inuenio; ipsum autem in omni scientiarum & virtu-

D

virtu-



virtutum genere, procul dubio, curâ & sollicitudine pij Antecessoris & Cognati sui ab infantia instructum, & educatum fuisse, ac in Spiritualibus, deuotis, piisque exercitiis tempus transegisse iuuenile, eius postmodum subsequuta virilis ætas & præclara Episcopalis ac Pastoralis Officij, sollicitudinisque, nec non deuotionis, pietatis, liberalitatis & humilitatis nobis relicta monumenta ac documenta manifestè euincunt, vt exinde qualis eius iuuenilis ætas fuerit, quiuis facillimè colligere queat, Nam, vt inquit Poëta,

*Quo semel est imbuta recens seruaabit odorem,*

*Testa diu.*

Cùm igitur in iuuenili ætate literis apprimè imbutus, accedentibus virtutum Christianarum continuis exercitiis, sanctitatis prima iecisset fundamenta, iamque ad Ecclesiastici regiminis & Pastoralis sollicitudinis gubernacula capeffenda, aptus esse videretur, in familiam cognati sui Friderici Episcopi receptus fuit, in quâ ipsum non exiguæ fuisse auctoritatis, è Diplomate eius primo, de quo inferius, manifestè colligitur, *ibi me rogante & impetrante.*

Quemadmodum itaque de Christo Salvatore nostro in templo inter Doctores à parentibus inuento, inquit Euangelista Lucas, *descendit cum eis in Nazareth, & erat subditus illis,* atque his duobus verbis totam Christi Adolescentiam & iuuentutem perstringit, & postea tam ipse Lucas, quam alij Euangelistæ, de eius vitâ vsque ad Annum ætatis trigesimum planè tacent, *Spondan. ad Annum Christi 12. num 2.* Postmodum verò magnalia Dei loquentes in aperta prorumpunt, Christi que vitam signis ac prodigiis magnis referatissimam, vniuerso terrarum Orbi, tubarum ad instar fortium, fortiter intonant; ita & in Sancto nostro simile quid contigisse, non immeritò statuere ausim; quamuis enim inæcuriosa verustas, de eius adolescentia & iuuentute nobis nihil certi, præter superius commemorata, reliquerit, attamen post ipsius sufficientem, pro Episcopalis curæ regimine qualificationem, & post assumptum canonicè & laudabiliter Pastorale Officium, omnes historiæ, omnia scripta, documenta & Diplomata omnia de Sancti nostri pietate, deuotione, humilitate, liberalitate, ac sanctâ eius in terris conuersatione & vitâ, in aperta erumpunt, ac palam & manifestè in veritatis ac rei gestæ memoriâ loquuntur.

CAPVT

## CAPVT QVARTVM.

*De obitu Friderici Episcopi, & quo Anno eidem  
S. ERPHO successerit.*

**A**NNO Domini 1085. pio & liberali Antistite Mimigardesfordensi Friderico, piè vitâ functo, Successor eius, iam antea, vti infra probabimus, designatus, omnium votis petitus, declaratus & renunciatus fuit S. ERPHO, eoque maiori omnium gaudio & applausu receptus, quo munere Episcopali magis dignum fuisse, sancta & humilis eius vita & conuersatio, postmodum demonstrauit.

Hoc verò Anno, Friderici mortem & in principio sequentis, Successoris eius surrogationem contigisse omninò statuendum ac firmandum, duo originalia huius Sancti Diplomata in Archiuo Abbatia Fricconhorstensis Diœcesis nostræ asseruata, manifestum faciunt, illorum enim Diplomatum originaliter à me visorum & lectorum, subscriptio est talis.

Et primi quidem.

*Actum Mimigardesford in Camera Episcopi, Anno Dominice Incarnationis millesimo, octogesimo sexto, Indict. VIIII. III. Calendas Ianuarij.*

*Anno verò Ordinationis Domini ERPHONIS Episcopi primo feliciter, Amen.*

Secundi verò.

*Actum Fricconhorst, Anno Dominice Incarnationis millesimo, 90. Indictione XIIII. IIII. Nonas Septembris, Anno Ordinationis meæ quinto feliciter, Amen.*

Ex quo necessariò sequitur Anno suprâ memorato 1085. Fridericum mortuum, & Successorem eius in principio insequentis Anni ordinatum fuisse. i. Interim & illud ex vtroque Diplomate certum est, Fridericum tribus Annis ante 1088. in quem aliqui ipsius obitum referre volunt, cum vitâ Episcopatum in hac terrâ deseruisse. 2.

D 2

NOTÆ

## AD CAPVT QVARTVM.

1. In principio anni 1086. S. ERPHONEM consecratum fuisse Episcopum omni dubio carere existimo, eo quod in Diplomate suo primo, tertio Calendas Ianuar. quæ est 30. Decembr. Anno 1086. erecto, dicat, se tum temporis adhuc fuisse in Anno consecrationis suæ primo, & in allegato alias manuscripto inueniatur, ipsum 3. Idus Ianuarij, & quidem Anno 1085. partem Occidentalem Monasterij Transaquensis consecrasse. In quo quamuis erratum esse existimem, ideo quod illo Anno adhuc Fridericus Episcopus vixerit, & S. ERPHO iuxta proprium ipsius testimonium, illo tempore nondum consecratus fuerit, attamen illum errorem, saluo interim cuiuscunque melius sentientis iudicio, in manuscriptis incuriã scribentium, præsertim in eisra formandã, à tempore illo, quo cifra vsus ab Arabibus ad nos peruenit, de quo supra memini, illapsum, vti facillimè contingere potest, atque plerumque solet, corrigendum, ac ideo quoad consecrationem Ecclesiæ Transaquensis, pro annis 1085. 1086. 1087. & 1088. putarem ponendos esse, Annos 1086. 1087. 1088. & 1089. Quod si fiat, omnia plana & expedita sunt, debuitq; tali casu S. ERPHO intra 30. Decembr. Anni 1085. & 11. Ianuar. Anni 1086. necessario consecratus fuisse Episcopus, quod vtique est in principio istius Anni.

2. Habet D. Doctõr Gigas, pie memoriæ, in suo Catalogo Episcoporum Monasteriensium hæc formalia; Fridericus I. Marchio Misnie, è suo Patrimonio fundauit insigne Collegium S. Mauritij extra muros, in quo sepultus Anno 1088. Ego sanè de sepulturã factã nihil disputare volo, sed Fridericum Anno 1085. mortuum esse, & Anno 1088. S. ERPHONEM iam tribus Annis Episcopatum administrasse, supra euidentissimè probatum est; vnde cuiusuis censura & iudicio submitto, an existimandum sit, illo præsertim seculo, sepulturam Episcopi ad tres Annos & vltra dilatam fuisse.

## CAPVT QVINTVM.

*De Canonicã assumptione & sublimatione S. ERPHONIS  
in Episcopum Monasteriensem, & quod Schismaticis  
non adhaerit, sed semper in communione  
S. Sedis Apostolicæ fidelis  
permanerit.*

**P**Robabile autem valdè est, Fridericum iam senescentem, Catholicum omnino, & in communione S. Sedis Apostolicæ fidelissimè perseuerantem, vtpotè  
à S.

à S. Annone ArchiEpiscopo Colonienſi ordinatum Episcopum Monasterienſem, *Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 2.* cum videret Henricum Quartum, aliis Tertium; tempora per omnes Ecclesias Germaniæ excitasse turbulenta, vti pluribus affirmat, *Crantz. d. loco cap. 20.* de Pace Ecclesiæ sibi concreditæ, etiam post obitum suum conseruandâ, in viuis sollicitum fuisse; Ideoque vt Catholicum & in communionem Apostolicâ, pariter vti ipse fecerat, fideliter perseuerantem, sibi & Ecclesiæ, dilectissimæ Sponsæ suæ designaret Successorem, primò apud Clerum Mimigardefordensem, nunc Monasterienſem similiter communionis Apostolicæ & Catholicæ studiosum (*Burchardum enim tanquam schismaticum eiecerunt*) egisse, vt saltem pro maiori cautelâ, & ad præcauendam omnî ex parte oppositionem, nec non quæ contingere poterat, contradictionem, eius consensum eliceret; quod & tum temporis ab vsu & praxi alienum non fuisse, manifestè euincitur ex assumptione Wezilonis in ArchiEpiscopum Magdeburgensem, de quâ *Crantz. in Metropol. lib. 5. cap. 8.* & Henrici Primi, Sancti nostri coætanei & Co-Episcopi (Anno enim 1090. 4. Non. Nouembris, in Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis hic Monasterij fuit) in Episcopum Leodiensem, quam apud *Chapeauville in historiâ Leodiensi refert Agobardus aure. Vallis religiosus, cap. 10.* Hæc à me dicta, de Capitulari aliquâ electione in formâ Iuris Canonici, factâ, intelligi minimè volo, probè enim cognitum habeo, *Otonem Comitem de Bentheim, à S. nostro Octauum*, fuisse primum, de quo scribitur, quod per Capituli electionem assumptus sit, cum prius vel à Summis Pontificibus Episcopi præficerentur, vel ab Imperatoribus nominarentur; sed tantum de consensu aliquo, non quidem absolute, & ad ipsam actus subsistentiam tum temporis necessario: sed tamen utili & post factam eorum, qui præficiendi aut nominandi Ius potestatemque habebant, declarationem, non obfuturo.

Consensu Cleri Monasterienſis, illum in finem, vti præmissum est, impetrato, Friderico viro Nobili & magnæ auctoritatis, tum ob gestum laudabiliter in Romano Imperio Cancellariatus Officium, tum ob S. Annonis ArchiEpiscopi Colonienſis, & Imperij Romano-Germanici moderatoris familiaritatem, difficile haud fuit gratiam & auctoritatem Sedis Apostolicæ Romaniq̃ue Pontificis, præsertim in designando sibi successore Catholico, & cum Romanâ Ecclesiâ communicante, impetrare. Vt autem hæc res, & sancta eius sollicitudo, feliciorem sortiretur effectum, etiam consensum Henrici Quarti, aliis Tertij, ipsum requisuisse, & impetrasse mihi persuadeo; prout & illud absque vllâ communionis, cum schismatico & excommunicato notâ, aut suspicione, illis temporibus omnino licitè facere potuit, quando idem Henricus ad tempus resipiscens, & meliora promittens, aut absolutus & Ecclesiæ reconciliatus, aut à Pontifice Gregorio Septimo, meliora, propter iuuentutem eius, semper sperante, post

ultimam conuerſionem & abſolutionem per triennium toleratus fuit, quæ contigerunt Annis 1074. 1075. 1077. 1078. & 1079. vſque ad menſem Martium Anni 1080. quando habito Romæ Conſilio idem Gregorius VII. in Henricum Regem anathema promulgauit, in quod ipſe multiplici nomine, Apoſtolicæ Sedi contumax, atque perjurus, ſe ipſum ſæpius implicauerat, vti videre eſt apud *Spondan. ad dictos Annos*, qui & Anno 1080. ſub num. 2. inquit, *Gregorij triennalem tolerantiam, ac ſummam patientiam, eum cum graui ſcandalo totius Eccleſiæ. in ſuſpicionem adduxiſſe, tacite cum eodem Henrico conuiuentia.* Vt ita de legitimâ & canonicâ S. noſtri, ad Paſtoratus Officium promotione & ingreſſu eius in ouile per verum oſtium, quod Chriſtus eſt, nullatenus dubitandum ſit; vti enim poſt aſſumptam Paſtoralis Officij ſollicitudinem in communionem Catholicâ & Apoſtolicâ conſtanter perſeuerauit, quemadmodum paulò poſt demonſtrabimus, ita etiam ad muneris Episcopalis apicem legitimè & Canonicè eundem perueniſſe, firmiter tenendum eſt; præfertim ſi conſideremus nullo modo præſumendum eſſe, quod Fridericus pius, deuotus, zelofus & in communionem Apoſtolicâ conſtantiffimus Præſul, cognatum ſuum ERPHONEM promouendo, Dei & conſcientiæ ſuæ vllatenus obliuiſci, ac ſe ſuumque cognatum grauiſſimi criminis reum damnabiliter conſtituere voluerit: Abſit procul à Viris Sanctis, tam ſiniſtra præſumptio & ſuſpicio.

Quod autem exiſtimem S. noſtrum etiam viuente Prædeceſſore ſuo, ab illis qui tum temporis ius poteſtatemque habebant, designatum, & à Clero receptum eſſe Episcopum, ad id non leui argumento me mouet, tum quod Fridericus Eccleſiæ Mimigardefordenſi multa bona contulerit, & S. Pauli honorem mirificè augmentauerit, vnde Clerus tanti beneficij memor, ipſi aut eius familiæ, non ſolum ſummè addictus dubio procul extitit; ſed etiam tanto benefactori haud facile aliquid denegare potuit; tum Diploma S. ERPHONIS primum, de quo ſæpius mentio, in illo enim inuenitur, quod Dominus Fridericus pro ſua clementiâ miniſtris, qui ad Præpoſituram pertinent, ipſo rogante & impetrante certam aliquam libertatem, ius aut Priuilegium, conceſſerit, & quod Præpoſitus & Capitulum Cathedralis, S. ERPHONÈ interceſſore, & mediatore vſi fuerint. Prudenti ſanè conſilio, voluerunt enim ad impetrandam Episcopigratiam, illum eligerè in Patronum & exoratore, quem recentis à ſe obtenti beneficij memorem, enixius & inſtantius rogaturum ſciebant.

Fuit verò hiſce temporibus inter Romanâ Sedem, & diuerſos Summos Pontifices ſibi inuicem ſuccedentes, nec non Henricum IV. & quosdam Germaniæ Episcopos ipſi adhærentes ſchiſma non minus horrendum, & ſcandalofum, quam Paci tranquillitatiq; Eccleſiarū ſummè infeſtū, in quo plurimi Germaniæ Archi-Episcopi, Episcopi & Prælati Henricianis fauentes partibus, à cōmunionem Catholicâ & Apoſtolicâ defecerunt. Interim S. noſter regimini Eccleſiæ ſuæ ouibusque ſibi

sibi commissis solummodo intentus, & quæ Pastoralis ipsius essent Officij solerter & vigilanter adimplere satagens, non solum ad illa, quæ extrâ, agebantur, & scandalosè à multis in reprobum sensum adductis moliebantur, non attendit, sed etiam in communionem S. Sedis Apostolicæ constanter & laudabiliter perseuerauit; vnde etiam factum est, quod nec ipse, nec Ecclesia Mimigardensis, ipso viuente, ingentem illum motum & horrendam multarum Ecclesiarum turbationem senserit, quod sequentia manifestum faciunt.

In primis enim Episcopatus eius Anno quinto, Domini verò 1090, cum Hermannò ArchiEpiscopo Colonienfi, hic Monasterij in Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis præfens fuit, ac vnâ cum Sancto nostro, secundum bannum Episcopalem, ratione factæ paulò ante à se Ordinationis Fricconhorstensis promulgauit, Henricus Leodiensis Episcopus, qui cum in communionem Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ fidelissimè & constantissimè, contra Henricum Regem perseuerauerit, omni procul dubio cum S. nostro non communicasset, neque ad Dedicationem Ecclesiæ Cathedralis Monasteriensis conuenisset, nisi & certum habuisset, S. ERPHONEM secum in commuione Apostolicâ firmiter persistere.

Henricum verò Leodiensem Antistitem in communionem Apostolicâ constantem & fidelem, etiam vsque ad obitum suum (qui Anno sequenti postquam hic Monasterij fuisset, nimirum 1091. contigit) permansisse, euidentissimè exinde probatur, tum quod Gregorius VII. vitæ sanctitate conspicuus Pontifex, Anno 1080. Mense Ianuario, Theodoricum Virdunensem Episcopum, monuit congregare Synodum aduersus Arnulphum grassatorem, qui Henricum Leodiensem Episcopum ad limina Apostolorum venientem deprædatus fuerat, ac jurare coegerat, non repetere quod amiserat, vti narrat *Spondan. ad dictum Annum 1080. num. 1.* vbi & ipsius Gregorij Epistolæ citat. Hæc autem pro Episcopo Leodiensi Henrico S. Pontifex non fecisset, nisi & illum cum Sede Apostolicâ contra Henricum communicare sciisset: tum etiam quod Henricus Antistes à S. Annone consecratus, & ab illo quasi adiuratus, Wolbodonem Abbatem S. Laurentij admonitum, & non resipiscentem, dictâ Abbatiâ priuauerit, & illum ad Henricum Quartum, cuius violentiâ se restituendum sperabat, confugientem etiam ad nimias Regis preces, restituere noluerit, sed potius exilium & sui Episcopatus desertionem sustinere elegerit, atque in isto proposito vsque ad extremum vitæ anhelitum perseuerauerit. Vnde Wolbodo hoc Episcopo viuente exulare, & in Aulâ Henrici delitescere debuit; prout illa pluribus refert, *apud Chapeauille in histor. Leodiensi dictus Ægidius cap. II.* vbi addit, quod etiam precibus Regiis posthabitis, circa Leodiensem Synodum, quæ agitur in Festo Apostolorum Simonis & Iudæ, Wolbodo damnatus, & in locum eius Berengerus Prior Ecclesiæ S. Huberti, ab Henrico Episcopo surrogatus sit.

Ex

Ex quibus evidentissimum est, Henricum Leodiensium laudabilem Præfulem, usque ad finem vitæ Catholicum mansisse, & in communionem Sedis Apostolicæ perseverasse.

Secundò, constat omnes Sancti nostri confratres Episcopos, & consuffraganeos communicasse cum Sede Apostolicâ & Henrici moliminibus contrarios fuisse; De Leodiensi enim modo dictum est. In Cathedrâ verò Traiectensi sederat quidem Wilhelmus, qui præ cæteris pro Rege Henrico stetit in Conciliabulo Wormatiensi; sed illo, Anno 1076. miserè defuncto, & Apostolico iussu sine commendationibus sepulto, successit Henricus Catholicus, fuitque Sancti nostri coætaneus, ad quem petentem num orandum esset pro ijs qui in schismate mortui essent, extat rescripta Gregorij Epistola id faciendum negantis, *Spondan. ad annum 1076. num 5.*

Mindensi Ecclesiæ per hæc tempora Henrici Quarti præfuit, ordine Pontificum octavus decimus Reinwardus, cui controuersiam de Ecclesiâ mouit Volmarus, quod astipulantibus cognatis, per secularem potentiam, se putauerat ingressurum; sed præualuit iustitia & veritas, quia abactus est, (Volmarus inquam) qui non per ostium, quod Christus est, sed aliunde tentauit intrare, *Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 25.* Tantum itaque abest, quod animosus hic Præsul schismaticis adhæserit, vt etiam illis in faciem constanter restiterit, mortuus est Anno 1089.

Osnabrugensis insuper Ecclesiæ hisce temporibus Præsul & Antistes fuit, Benno Secundus, quem Crantzius Bernardum nominat, vir ab ineunte ætate Deo deditus, clarum habens nomen ex doctrina & vitæ religione, qui ad Episcopatum Osnabrugensem canonicè & legitimè euectus operam dedit, vt tantum vitæ sanctimoniâ, quantum dignitate excresceret, Imperatori paruit, ira tamen, vt Summo Pontifici non contraheret. Denique cum Imperator hoc ageret, vt contempto Gregorio Septimo AntiPapam surrogaret, quod contigit Anno 1080. latuit hic Pontifex, nec voluit interesse Concilio; Multa virtutum eius referuntur insignia, præfuit autem Ecclesiæ suæ cum summa laude per annos viginti. Migravit Anno 1088. vndecimo Calend. Augusti, *Crantz. d. loco cap. 26.*

Quibus omnibus accedit, quod tot fidelium Suffraganeorum Archiepiscopus, Hermannus Metropolitanæ Sedis Colonienfis tum temporis Præsul, similiter schismaticorum Conuenticula abhorruerit, & in communionem Catholicâ & Sedis Romanæ fideliter & piè permanferit, tum quod Anno 1090. hic Monasterij in Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, aliis in eâdem deuotione & fidelitate manentibus Antistes adfuerit, tum quod Cutzemius in Saxoniam Catholicam tradat ipsum fuisse stirpis Witikindæ, & inclitæ familiæ Saxonice natum Principem, qui Saxonibus, vt illâ ætate S. Romanæ Ecclesiæ defensoribus, & propugnatori-

natoribus fidelissimis ac solertissimis, consanguineis suis dubio procul adhæsit. Quod autem idem Cussemius addit fuisse Hermannum Episcopum tantæ auctoritatis, ut Imperatore extra Germaniam absente, ipse negotia Imperij, Vicariâ operâ administraret, intelligendum omninò est de illo tempore & Annis, quando Henricus Imperator, aut absolutus, aut à Pontifice toleratus fuit, sicque adhuc in communionem fidelium extitit; si enim aliud de illo asserere voluerimus, necessariò inferendum erit, ipsum fuisse suæ domui & familiæ contrarium, & directè aduersantem, imò inimicum; quod à verisimili omnino abhorret, ideoque falsitatis speciem habere, in jure nostro præsumitur.

Cum igitur tam Metropolitanus, quam omnes ipsius cœtanei & consuffraganei Episcopi, cum Sede Apostolicâ communicauerint, indubitatum omnino est S. nostrum, virum pium, deuotum, humilem & fortem Christi athletam alterius sententiæ, opinionis, aut sectæ ab illis esse noluisse.

Tertiò habet historicus fide dignus *Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 33.* quod Mimigardensensis, quæ nunc est Monasteriensis Ecclesiâ, passâ sit per hæc tempora (nimirum Anno quarto post 1100. à Christo & eius exortu, uti immediatè ante dicit Crantzius, & alibi à nobis annotatum est) quod multæ aliæ de suis Pontificibus, nam Henricus IV. mortuo S. nostro ERPHONE, illi præfecit Burchardum, quem alij Henricum nominant; Crantzij quoque sententiæ, nimirum mortuo Sancto hoc, Sedem Mimigardensem primum à schismaticis affectari & inuadi cœptam, adstipulantur manuscripta, *Vrspengensis P. Merff. Cratopol. & alij.* Quemadmodum itaque S. noster canonicè, quietè & pacificè ad ouile Christi intravit, ita etiam illud canonicè, quietè, pacificè, laudabiliter & sanctè ad finem usque vitæ suæ rexit.

His pro Quartò, idem addit Crantzius, quod Burchardum, virum quamuis excellentem, illum tamen velut schismaticum, & Henrico anathemizato subscribentem, eiecerint ministeriales sui, & Comes de Arnsperge; Quod si itaque Burchardum, ab Henrico IV intrusum, tanquam schismaticum & anathemizato subscribentem, quamprimum Monasterienses, adsumpto Comitris Friderici de Arnsperg auxilio, eiecerunt, quis sanæ mentis credet aut credere poterit, illos ipsos, nimirum ministeriales Monasterienses, tam diu ERPHONEM tolerasse, eique ferè in omnibus Ordinationibus Episcopalibus & gratiis ita fideliter & constanter adhæsisse (vri duo ipsius Diplomata palam attestantur) si sciissent aut in minimo etiam suspicati fuissent, Episcopum illum, Sanctum inquam nostrum, aut per verum ostium ad ouile Christi non intrasse, aut cum schismaticis communicasse. 2.

Porro quod S. ERPHONI tempore vitæ suæ Imperator Henricus nullam intulerit molestiam, sed illum in altissimâ quiete & tranquillitate esse passus sit;

E

illud



illud idè contrigisse existimo, quod Imperator probè cognitum haberet, non solum Matrem S. nostri fuisse Saxonici sanguinis, atque idè illum facillimè à Saxonibus, quos tunc Henricus timebat, auxilium habere posse, prout etiam post mortem Sancti, illud in Theodorico ipse euentus docuit, sed etiam quod sciret Ministeriales & subditos Monasterienses Apostolicæ firmiter adherere communioni, & quod Comiti de Ataspergh Saxoniciſque viribus, suas coniungentes, magnas possent ipsi excitare molestias, & planè impedimento esse, ne quid in Italiâ contra limum Pontificem, vri propositum habebat, moliretur. Quæ profectò sempiterna rostratum est laus, & omni æuo de prædicanda erga Sedem Apostolicam humilis & constans deuotio.

## N O T Æ

A D

## AD CAPVT QVINTVM.

1. De hoc Henrico plurima habent Scriptores, & imprimis Stephanus Halberstadiensis, quæ locis inferius allegandis videri poterunt, Marian. Scot. in Chronico Anno 1075. dicit ipsum nefanda & inaudita commisisse flagitia, Dodechimus Mariani continuator Anno 1106. dicit, Henricum hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesiâ eiectum constat manifestè. Abb. Vrsperg. ad Annum Christi 1078 refert Henricum adolescentiæ abusum libertate, Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cœpisse incolere, Principes despiciere, Nobiles opprimere, inferiores sustollere, &c. infra addens, eum ab omnibus Catholicis archipirratam, simul & heresiarcham, nec non Apostatam, persecutoremq; plus animarum, quam corporum competenter dictum. Lambert. Schaffnaburgens. ad Annum 1073. Rex, inquit, tanquam seuerissimo Pædagogico liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frenis, præcipitem se dedit, Alb. Crant. in Saxon. sic ait, Ceterum si in alteram partem respicis, incredibilia luxu flagitia, & pertinax superbia, aded sibi hominem dimidiarunt, vt potiores sibi partes in vno vindicarent, &c. Ioannes Auentin. lib. 5. Annal. Boior. Henricum, inquit, stupris, amoribus, impudicitia & adulterij flagrasse infamiam, ne quidem amici, negant; His omnibus addere volui & debui, ipsius Ioannis Caluini testimonium, qui Institut. lib. 4. cap. 11. §. 3. sic scribit: Imperator Henricus eius nominis Quartus, homoleuis & temerarius, nullius consilij, magnæ audaciæ, vitæ dissolutæ; Episcopatus totius Germaniæ habebat in Aulâ suâ partim venales, partim prædæ expositos: prout hæc omnia latius & magis fundamentaliter enucleata inuenies apud Bellarmin. locis inferius allegandis. Hodie de Episcopatibus, Abbatibus alijsq; bonis Ecclesiasticis ac Religiosis Germaniæ nostræ, hic & alibi quid actum, quid conclusum est? O Deus in quæ nos temporâ reſeruasti! Quam fortiter autem, constanter & laudabiliter hisce conatibus & fortè nunquam profuturis moliminibus, Illustriss. & Reuerend. D. Fabius Chisius, Episcopus Neritonensis Nuntius Apostolicus, ad Generales Tractatus Pacis Legatus dignissimus, qui munus

onusq;

onusq; Angelicis etiam humeris formidandum, suaviter, discretè, solerter, piè & dignè portat, ac pro Sanctâ Dei Ecclesiâ indefesso vigilantissimè laborat studio, Prælati profectò nullis impar, & vita omnino exemplaris, tanquam murus manu Altissimi de firmâ petrà edificatus, sese opposuerit illisq; palam contradixerit, ex ipsis Illustriss. Celsitud. sua Chirographis Lectori notum esse cupio, sunt autem talia.

PRIMUM.

**E**GO, Fabius Dei & Sanctæ Sedis gratia Episcopus Neritonensis, ac Nuntius Apostolicus. Omnibus & singulis, quorum interest, veritatis documentum, ac salutem in Domino sempiternam. Quamvis Extraordinarij muneris mei ab Apostolicâ Sede mihi commissi cura, eam solum de quâ Monasterij intra Catholicos agitur, Pacem concernat, ex ordinariâ tamen Legationis Officio mihi pariter ab eadem Sede Apostolicâ iniuncto, attendere debeo, & cauere, ne etiam alibi, ac præsertim intra eiusdem Legationis limites, Dei Ecclesiæ, atque Apostolica Sedes, in suis bonis, juribus, immunitatibus, privilegiis, & quod caput est, in Divino cultu, ac salute animarum, detrimentum accipiat. Quapropter eos Principum, ac Statuum Catholicorum Legatos Osnabrugicæ A Catholicis Pacem tractantes requirere, admonere, hortari, obtestari non destiti, tum coram, antequam se eo conferrent, tum literis postmodum aliisque adhortationibus, ut ubique & in omnibus, Catholicæ Religioni, animarum saluti, Apostolicæ Sedi, eiusque dignitati & immunitati consulerent, ac Dei potius protectione, causâque bonitate, quam Politicis rationibus confisi, nihil profus à dictis Regulis, diuino humanoque jure præscriptis, alienum admitterent. Si quid verò in contrarium ab eorum non nullis fieret, non tantum omnem consensum, fauorem, conuenientiam per me denegari, sed palam etiam contradici, acriterque repugnari, quemadmodum, si quid contra attentatum fuisse accepi, obstiti, & omni studio, quantum in me fuit, impedire, corrigere & in meliùs reformare conatus sum; cum verò his non obstantibus, in dicta vrbe Osnabrugensi, de pluribus Pacis Articulis, seu Conditionibus inter quosdam Legatos Conuentum fuisse dicatur, post Christianissimi Regis Galliæ, ac aliquot Statuum Imperij Legatorum, ad hanc Urbem aduentum, quæ Dei honori, atque Ecclesiæ, saluti animarum, Apostolicæ Sedi, graue damnum ac præjudicium creent. Id quod reliquum mihi est facio, omnibusque eiusmodi Articulis, ac singulis ac si de verbo ad verbum hic forent expressi, nomine S. Sedis Apostolicæ ac S. D. N. D. Innocentij Diuina prouidentia Papæ Decimi, apertè ac palam per patens hoc testimonium repugno, resisto, & contradico: atq; omni meliori modo, viâ, causâ & formâ, quibus

pro Officij mei ratione teneor, ac possum, protestor, & eos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temerè contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos. In quorum fidem, & perpetuam memoriam, idem testimonium manu meâ subscriptum, & maiori meo Sigillo munitum volui. Datum Monasterij Westphalorum in Aula habitationis Nostræ apud Minoritas, die 14. Octob. Anno 1648.



*Fabius Episcopus Neritonensis Nuncius Apostolicus.*

Henricus Meringh  
Abb.

SECUNDVM.

**E**GO Fabius Dei & Sanctæ Sedis Gratiâ Episcopus Neritonensis ac Nuntius Apostolicus, omnibus & singulis Chirographo hoc notum atque testatum facio, me tum Iussi Pontificij ac muneris mihi demandati, intuitu, tum propriæ, Deo dante, voluntatis propensione, in Tractatu Pacis generalis inter Christianos Principes hac in Ciuitate sancienda, nihil vnquam prætermisisse eorum, quæ ad illam conciliandam, iusteque ac firmiter stabiliendam conducere in Domino visa sunt. Quoniam verò ex Euangelicâ doctrinâ hæc iustitiæ regula est, vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; cæteris quæ suorum sunt, Principum satagentibus, ea mihi præcipuè cura atque sollicitudo incubuit, ne quæ Dei, quæ Christi, quæ Catholicæ Religionis atque Ecclesiæ sunt, ob vllam hominum cupiditatem vel metum, quidquam damni aut detrimenti acciperent, neque aliter firma ac duratura fœdera sperare vnquam potui, quam si superstruerentur firmissimæ Petræ, aduersus quam infernales portas nunquam præualituras Dominus noster suâ nobis promissione sanciuuit; id denique totâ animi, corporisque contentione hæcenus egi, vt haud aliis pactis mortalium Principum arma quiescerent, quam quæ, Deum Optimum Maximum, ad grauiora contra nos bella suscitanda, non irritarent. Quamobrem si quando inter agendum cum Catholicorum Principum ministris, proponi aliqua, siue indicari, aut inuolui audiri, quæ directè aut indirectè Catholicæ Religionis, conseruationi, dignitati, immunitati, propagationi & incremento, vel in minimo aduersarentur, non tantum omnem consensum, fauorem, patientiam, conuiuentiam denegaui; sed palam obstiti, aperte acriterque repugnaui, & omni studio, quantum in me fuit, impedire, corrigere & in melius reformare conatus sum. Huc nempè spectabat solemnis protesta-

protestatio per me sæpius interposita, quod si quæ, in punctis siue articulis, ibidem propositis & proponendis essent, aut continerentur, quæ saluo omni iure Ecclesiæ Romanæ, & cum integrâ Religionis Catholicæ dignitate ac pietate, ad animos Christianorum Principum inter se componendos facerent, seu facere viderentur, ea impugnare aut impedire nullatenus intēderem; si quæ verò quoquo modo facerent, aut facere possent contra Romanam Ecclesiam & sanctam Religionem, ei que aliquod præjudicium adferrent, illa ex tunc reiicerem, detestarer, damnarem, & pro inualidis, nullis, iniquis, ac per non habentes potestatem, attētatīs, haberem ac declararem, quam protestationem præmissam in quolibet actu, vel conuentu coram me facto vel faciendo repetitam, omnium que tractatum initio, medio, fine, ac toties quoties oportuisset, replicatam habere volui, intendi, edixi que, omnibus melioribus modo, viâ, jure, causâ & formâ, quibus pro Officij mei ratione poteram & debebam. Quod Principum ac Statuum Catholicorum Ministri, cum quibus tantum egi, siue coram siue per literas, ac Serenissimæ Republicæ Venetæ Orator, Dominus Aloysius Contarenus Eques, qui plerumque interfuit, testari possunt, ac latiùs ac specialiùs, si opus fuerit, loco & tempore congruis & opportunis declarabitur. Insuper ne contra protestationes præmissas, ac subinde compluribus insinuatās, vel sola mea præsentia, postremis hisce tractatibus, ac Pacis conclusioni aliquid roboris aut assensus adiicere videretur, clara rursus & per se nota veritas est, quod subduxerim me aliquoties, ac eiusdem Pacis subscriptioni noluerim interesse, inaudiens ac dolens in pluribus, ac grauissimis momentis, eam Catholicæ Religionis fore damnosam, ideo que prioribus protestationibus meis, modo iterum, viâ, & jure, quam optimis, reproductis de præsentī fortius inhærere me profiteor, omnem etiam puluisculum de pedibus excutiens, qui commune quicquam habere possit, vel cum minimo præjudicio Sanctæ Sedis & Catholicæ Religionis, pro quâ, vti teneor, ita per Dei gratiam, promptū me declaro & exhibeo, ad vitam & sanguinem profundēdum. Ad quorum omnium & singulorum ampliorem diuturniorem que notitiam atque euidentiā, apud absentes quoque & posteros astruendam, testimonium hoc patens, ac publicum extare volui, manu meâ subscriptum, & maiore meo Sigillo munitum. Datum Monasterij Westphalorum, die 26. Octobris, Anno 1648.

*Fabius Episcopus Neritonens. Nuntius Apostolicus.*

Locus  
Sigilli.

Henricus Meringh

Abbreviator.

E ;

2. Igitur

2. Igitur de hoc Sancto Viro, & Antistite integerrimo, omnino non accipi, imò ne suspitari quidem debent illa, quæ referuntur in Epistolâ Stephani Episcopi Halberstadiensis (quem Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 30. Herandum nominat, asserens alios annales eundem appellare Stephanum, adiungens non sine contentione, propter Henrici Regis schisma grauiissimum, ipsum Ecclesiæ Halberstadiensi præfuisse, ac tertio Anno febris absumptum defecisse) astruente Dodechino in additione ad Marian. Scot. Anno 1090 & quæ Dodechinum Scriptorem Germanum secuti, referunt Thom. Bozzius de signis Ecclesiæ, lib. 12. cap. 3. nec non Robert. Bellarmin. Sac. Rom. Eccl. Cardinalis, Theologus sui sæculi doctissimus, & non absque magnâ sanctitatis opinione vitâ defunctus, de controu. fid. Christi. tom. 1. controuers. gener. 3. de Roman. Pontificibus lib. 4. cap. 13. §. Deinde scribit Benno, & c. & de translatione Rom. Imp. lib. 1. cap. 2. §. Stephanus Halberstadiensis, & c. prout etiam Spondan.

Nam præter superius commemorata, quæ omnem omnino à S. nostro hac in re amouent suspicionem, de veritate relatorum me dubitare facit Annus 1090. illo enim Anno SERPHO iam ad quinquennium, iuxta proprium sui ipsius in vtroque Diplomate testimonium, Episcopatus & ouili sibi commisso sanctè, humiliter & laudabiliter præfuit.

Existimat quidem Venerandus & dilectissimus Pater meus, pia memoriæ, Henricus Boichorst I. V. D. & Ciuitatis Monasteriensis Consul, in notis suis marginalibus ad manuscriptum quendam Catalogum Episcoporum Monasteriensium, superiora intelligenda esse de Theodorico Episcopo; Sed hic veniam supplex postulo, mihiq; in malam partem nequiquam sumi humiliter flagito, quod à paternâ sententiâ obediens filius discedere cogar: nam Theodoricus stetit à parte Saxonum, fuitq; Henrici Imperatoris inimicus, & perpetuus Antagonista. Vnde ab Henrico Imperatore Sedè suâ pulsus: & Burchardo schismatico, uerum intruso, etiam contra uoluntatem Regis per Saxonum potentiam restitutus fuit. Igitur istiusmodi etiam de Theodorico Catholico, & Imperatori ac schismaticis planè contrario præsumi aut intelligi minimè possunt.

Ego, ut hac in re, sententiâ meam candidè explicem, si superius mentionata de aliquo vera existimanda sint, (de quo tamen me hesitare & dubitare superius insinuauit), putarem fuisse Burchardum Rufum modo nominatum, de quo sequentiâ habet Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 33. Minigardesfordensis, quæ nunc est Monasteriensis Ecclesiâ, passa est per hæc tempora, quod multa alia de suis Pontificibus: nam Henricus Quartus illi præfecit Burchardum Virum excellentem: sed illum uelut schismaticum, & Henrico anathematato subscribentem, eiecerunt Ministeriales sui, & Comes de Arnspurge: Sed Henricus Quintus illum potenter reposuit, & ut expressius rem explicemus, Albanensis Episcopus Cardinalis, Apostolica Sedis Legatus, Archiepiscopum Colonensem (qui necessariò fuisse debuit, non Hermannus Tertius, dictus diues, ille enim Anno 1099. mortuus est, sed eius Successor Fridericus Primus, quem generaliter D. Doctor Gigas nominat Marchionem Italiæ, familiam eius non specificando.) & Episcopum Monasteriensem Burchardum, ab Officio suspendit: & ipse Episcopus

piscopus Monasteriensis, coniurantibus contra eum Ecclesia Ministerialibus, adnente Co-  
 mite VVestphaliae de Arnspersgh Friderico, expellitur, capitur, & ad Imperatorem Henri-  
 cum Quintum deducitur, & in vincula conijcitur: quem postea Henricus idem Rex, Mo-  
 nasterium veniens Sedi suae restituit, &c. Atque in hac sententiâ me valdè confirmat ma-  
 nuscriptum quoddam Latinum de Episcopis Monasteriensibus, quod habet, cum Henricus  
 V. Imperator alijs Quartus, Summo Pontifici reconciliaretur, Burchardum quoque de suâ  
 Ecclesiâ securum quidem factum esse, sed fuisse magnam causam cur illum ablegaret Impe-  
 rator ad Constantinopolitanum Imperatorem, in quâ Legatione moriens defecit, vti & il-  
 lud de Legatione & morte confirmat, Abb. Vrspergens. ad Annum Domini 1121. Fuit itaq;  
 forte magna causa Legationis Burchardi ad Imperatorem Constantinopolitanum illa, quam  
 suprâ citati referunt auctores, prout etiam fortassis ob eandem causam Burchardi huius in  
 Catalogo Episcoporum Monasteriensium nulla sit mentio, Sancto enim ERPHONI, D. Doctor  
 Gigas, & pleraq; manuscripta immediatè subiungunt, Theodoricum à VVintzenburgh Sa-  
 xonici sanguinis, qui Anno 1122. 8. Calendas Septembris à Coloniensi Archiepiscopo Go-  
 defrido & Ottone Fratribus, & ab vniuerso Canonorum in Cappenberg degentium Colle-  
 gio rogatus, Castrum Cappenberg, & eiusdem Castrî ambitum solenni ritu consecrauit, vt  
 exinde esset, sit, atque permaneat immunitas atque Cœmiterium, iaciens in eo Ecclesie fun-  
 damentum. Hanc Cappenbergensis Collegij foundationem sub Theodorico Episcopo factam,  
 Anno sequenti, nimirum 1123. Henricus Quintus Imperator, iam Summo Pontifici recon-  
 ciliatus, ad petitionem S. Norberti ratam habuit & confirmauit, dictosq; Fratres Cappen-  
 bergenses Comites, qui à parte Saxonum & Catholicorum, vti Ministeriales Monasterien-  
 ses, contra Imperatorem & Schismaticos steterant, in gratiam recepit, hisce formalibus ver-  
 bis: Hoc etiam fideles Dei scire volumus, quod eidem Godefrido eiusq; Fratri, pro redemptio-  
 ne animæ meæ, suprâ dicto Sacerdote, Norberto inquam, pro eis intercedente, Regiam offen-  
 sam ex animo condonauimus, obsides eorum manumittimus, & quidquid causæ, vel ex-  
 actionis in ipsos habuimus, vel habere possemus, eternaliter postponimus, prout ex Diploma-  
 te quodam eiusdem Henrici Imp. probari potest, cuius talis est subscriptio, Data Anno Do-  
 minicæ Incarnationis 1123 Indictione tertiâ decimâ, apud Lobeuvisen, quando Dominus  
 Imperator Annulum & Baculum Ecclesie remisit, quod tamen Anno præcedenti contigisset  
 Spondan. commemorat ad Annum Christi 1122. num. 2. vnde ex hoc Diplomate fortè er-  
 roris, quoad ad Annum, argui posset.

Idem Theodoricus Episcopus Anno 1125. adhuc superstes fuit, illo enim Anno, in Synodo  
 Monasteriensi, foundationem Cappenbergensem confirmauit, cuius confirmationis testes ad-  
 scripti sunt, Bruno Prepositus, Rutberus Decanus, Engelbertus Custos, Gerardus Magister,  
 Helmyvardus, Guntramus, Folemarus de S. Mauritio, & omnes Canonici & Sacerdotes, qui  
 Sacra Synodo tunc interfuerunt, hac subiunctâ in fine clausulâ; Conseruatoribus & Defen-  
 soribus huius pagine & rei gesta, Pax à Deo Patre, & peccatorum indulgentia, Violatores  
 verò & defraudatores eius sint anathema.

Cum

Cum autem iuxta testimonium Vrspergensis ad Annum 1121. Burchardus supra nominatus, quem appellat Rufum, illo Anno nimirum 1121. dudum in Legatione Constantinopolitana diem clauserit extremum, impossibile omnino est, quod Theodorico post Annum 1125. defuncto, Burchardus Rufus succedere potuerit; sed successit illi Burchardus ab Holte, ab altero longe alius, qui Ecclesiam Monasteriensem altis mœnibus cinxit, S. Michaelis & S. Gregorij Sacella extruxit, ac Dülmanensem Civitatem edificavit & munivit; Sed nec ille diu Sedi sue praesuit: nam Successor eius Egbertus, Anno 1129. Fricconhorstensem, & Anno 1130. Nortelensem Ecclesiam consecrauit.

Ex quibus omnibus manifestum euadit, Burchardum illum intrusum, ab Vrspergenfi Rufum cognominatum, in Catalogo Episcoporum Monasteriensium non connumerari, imò in illo commodè connumerari non posse; eo quod adhuc schismaticus existens, & Imperatori adhaerens schismatico, inter Episcopos neutiquam connumerandus sit, & quamuis post remissum Ecclesiae ab Imperatore Henrico Annulum & Baculum, adeoque eius cum Pontifice & Sede Romana reconciliationem, de Sede sua ipsum securum factum esse, supra-memoratum Latinum habeat manuscriptum, ac illud insuper ex Spondano, si eo tempore adhuc vixerit, credibile fiat, qui ad Annum Christi 1122. refert, quod flexo tandem diuinitus corde Imperatoris, ad reddendam Apostolicae Sedi obedientiam, omnibusque ultra plurimorum spem, prosperè compositis, plenissimaque tandem, ingenti omnium gaudio, restituta Ecclesiae Pace, tam ipse Imperator quam omnes quicumque ab eo steterint, nomine Callisti Papae, per Legatos eiusdem, ab excommunicatione absoluti, & in communionem Ecclesiae restituti fuerint: attamen cum asserat Vrspergensis, ipsum Anno 1121. iam dudum obiisse, & reconciliatio ac absolutio Henrici, omniumque ipsi adhaerentium, Anno 1122. aut 1123. vti habet Diploma Cappenbergense, contigerit, ideo aut Burchardum tum non vixisse, aut quamprimum Constantinopolim, fortè quod ita secretè inter Pontificem & Imperatorem conuentum fuerit, ablegatum esse, adeoque munus Episcopi nunquam legitime administrasse existimo: unde etiam in Catalogum Episcoporum, Monasteriensium jure merito non referuntur.

Interea & illud hic notandum esse iudico, quod tertius Ecclesiae & Collegij S. Maurij benefactor non fuerit Burchardus, ille intrusus, cognomento Rufus: sed qui Theodorico defuncto legitimus successit Episcopus, nimirum Burchardus ab Holte.

## CAPVT SEXTVM.

### *De laudabiliter administrato in multis à S. ERPHONE, munere & Officio Episcopali.*

**P**ostquam igitur S. ERPHO Episcopi munus, etiam Angelicis humeris formidant-

midandum, *assumpfit, fideliter & alacriter, quod per Dei gratiam & misericordiam in se susceperat, exequi non neglexit.*

Inprimis enim quam pium & laudabile in initio assumpti muneris Episcopalis sibi propositum fecerit, è primo suo Diplomate, infra ad longum recitando, posteritati manifestum esse voluit; in illo enim publicè profitetur, se fidelium, in quantum possibile, petitionibus ad sensum præbendo, oppressis subuenire, afflictis parcere, contractos solvere, animum induxisse, cum solum placeant, vt inquit, Omnipotenti, qui misericordiæ sunt dediti, nec inuident alienæ fœlicitati.

Deinde quanto zelo ac pietatis, vtilitatisque affectu, Ecclesiis ibidemque ministrantibus intenderit, initium supra memorati Diplomatis secundi planè demonstrat, cuius hæc sunt formalia

*Si quid Sanctæ Dei Ecclesiæ ministrantibus vtilitatis, pio affectu impendere curamus, retribuimus nobis apud Dei misericordiam speramus, maxime cum iuxta præceptum Apostoli, operamur bonum apud domesticos fidei.*

Quantâ etiam curâ & sollicitudine in afflictione positus subuenierit, & quam sollicitè de solatio & sustentaculo Domino deseruentibus prouiderit, ex scæpedito quoque Diplomate secundo, meridiano iubere clarius elucescit, ibi, *quia si in afflictione positus non subueniremus, itam diuinæ vltionis procul dubio incurreremus, & ibi, nec erat eis aliquod solatium, vnde possent, cum Domino seruirent, habere sustentaculum,* vbi etiam verbis immediatè sequentibus contestatur, se diuini timoris pariter, ac amoris non fuisse immemorem.

Quam denique totus, tanquam bonus & fidelis Pastor, in eo fuerit, vt pœnitentes in Ecclesiam inducerentur, & reconciliationem & indulgentiam peccatorum suorum promerentur, sicque ad ouile Christi, ipsi quo ad partem sollicitudinis suæ concreditum, reducerentur, eiusdem Diplomatis secundi subscriptio, quamuis paulò post & minutiore, eodem tamen caractere facta, manifestè contestatur, ibi:

*Tertiâ vice 3. Id. Februarij, cum in Maiori Ecclesia Monasteriensi Altare in honorem S. Ioannis Baptiste consecrarem, quo etiam die pœnitentes in Ecclesiam induxi, & indulgentiam totis votis, totisque animis facere institi, vt pote in sequenti die Hierosolymam iturus, eundem bannum repetiti.*

Anno 1071. vti habet vetustum quoddam manuscriptum, Ecclesia Transa-  
quensis, & totum Cœnobium præter molem lapideam igne petiit, sed omnia in-  
tra annos quatuordecim meliori cultu, ita reparantur, vt Anno 1085. 3. Idus  
Ianuarij, Henrico Quarto Imperij gubernacula tenente, Monasterij Pars Occi-  
dentalis sit ab integro per S. ERPHONEM Præsulem consecrata; eodem quo-  
F que



que Anno 8. Calendas Aprilis Altare in Sacello Ierufalem incendio profanatum, ab eodem Episcopo & Praefule consecratum est; Templum autem nouum & Altaria Anno 1086. 4. Calend. Ian. iterum consecrantur: Sacellum meridionale Anno 1087. 9. Calendas Ian. Aquilonare Anno 1088. ipsis Calendis Febr. Chorus Virginum eodem, Anno 17. Calendas Septembris ab eodem S. ERPHONE Antistite. 2.

Quibus addenda est supra memorata consecratio Altaris S. Ioannis Baptistae in Maiori Ecclesia pridie arrepti itineris Hierosolymitani, deuotè & sanctè ab eodem S. peracta.

N O T Æ

AD CAPVT SEXTVM.

1. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 1. quod dictum vel desumptum esse videtur ex epistola S. Bernardi 236. vbi dicit esse onus Gigantis, vt aiunt, vel ipsis quoque Angelicis humeris formidabile, vel è S. Ioanne Chrysostomo, qui lib. 6. de Sac. cap. 2. munus idem appellat, quod robore & virtute Angelicà opus habeat.

2. Hic quoad Annos erratum esse, supra in Notis ad Caput quartum admonui, quò breuitatis gratià lectorem remitto, cupioq; notas istas huc repetitas.

C A P V T S E P T I M V M.

De magnâ & profundâ humilitate S. ER-  
PHONIS.

Sed nec illud silentio vllatenus prætereundum est, quod S. noster ad exemplum Christi dicentis, discite à me, quia mitis sum & humilis corde, *Matth. 11.* Sanctæ humilitatis, quæ Augustino teste omnium Christianarum virtutum verè fundamentum existit, & Episcopos vel maximè decet, iuxta constitutionem Imperatorum Leonis & Anthemij in *l. si quenquam 31. C. de Episcopo & Cleric.* admirabilis fuerit, si quis alius amator pariter, & imitator; Quamuis enim in Diplomate priori, de Anno 1086. 3. Calend. Ian. se satis modeste Serenitatem suam, & Dominum nominari passus sit: attamen ne vel verbulo Serenissimæ suæ familiæ mentionem fieri voluit, quin imò post aliquot annos iam sanctior & humilior factus, magisque honorum & gloriæ huius seculi pertæsus, in toties repetito secundo Diplomate, humiliter & simpliciter (planè præter morem huius seculi) sic exorditur.

*In nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, ERPHO diuinâ miserante clementiâ, Mimigardesfordensis, et si solo nomine Episcopus.*

Secun-

Secundò, cum de donatione Ecclesiæ Fricconhorstensi à Prædecessore tuo, & se factâ mentionem faceret, sic dicit.

*Decem de decimis, quas ego peccator et si indignus Successor eius, in  
Dedicatione Ecclesiæ eiusdem tradidi.*

Tertiò, referendo secundam banni Episcopalis promulgationem 4. Non. Nouem. br. in Dedicatione Maioris Ecclesiæ contrigisse, præsentibus ArchiEpiscopo Colonienſe Hermannò, & Episcopo Leodiensē Heinricho, sic dicit.

*Secundò, in Dedicatione Maioris Ecclesiæ, 4. Non. Nouembris præ-  
ctâ, eundem bannum Dominus Colonienſis ArchiEpiscopus Her-  
mannus, & Leodienſis Episcopus Heinrichus, & ego Monasterien-  
ſis opilio, videlicet ERPHO, fecimus.*

Denique quod omninò obstupeſcendum est, nec in principio, nec in fine, nec toto contextu, subscriptione aut sigillo, vel vllum apparet signum aut vesti-  
gium, ex quo vel in minimo colligere possis, ipsum è tam Illustri & antiquissimâ  
Obotritorum Wandalia Principum paternâ, ac Regis Witikindi, Ducumque  
Saxoniæ maternâ familiâ, suam traxisse originem, quin imò & Antecessoris co-  
gnati sui, Illustrissimum familiæ genus, studiosè subtrahit, & euidentissimo, nun-  
quam satis laudatâ humilitatis exemplo, Catholicè & Christianè peregit, quod  
etiam Ethnicus Poëta contemnendum esse docuit, dum ait:

*Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice longo  
Sanguine censerī, pictos ostendere vultus  
Maiorum, & stantes in curribus Amilianos.*

Incognitum insuper viro sancto procul dubio haud fuit, quod inter multas, &  
hanc mundi vanitatem Seneca Philosophus prope Christianus olim irriserit,  
quando *lib. 3. de benefic. cap. 28.* inquit, qui imagines in atrio exponunt, & nomina fa-  
miliæ suæ longo ordine, & multis stemmatum illicata flexuris in parte prima æ-  
dium collocant, noti magis, quam Nobiles sunt, & quod

*----- qui genus iactat suum  
Aliena laudat-----*

Cum itaque Illustrissimæ familiæ suæ profapiâ planè suppressâ & posthabitâ, pec-  
catoris, indigni Successoris ac Opilionis, postquam vnum appellasset Dominum,  
& alterum Episcopum titulis condecorari, quam præclarâ aut stemmatis profa-  
piâ gloriari maluerit, quis Sanctum nostrum perfectæ humilitatis viuum fuisse  
exemplar negare audebit? Vnde etiam tantò gloriosiore ac splendidiorē æ-  
ternæ gloriæ coronam, quantò humilius in terrâ vixit, ac de se ipso contemptibi-  
lius sensit, illum in cælo consecutum esse, firmiter tenendum est, iuxta illud Euan-  
gelicum.

*Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

## CAPVT OCTAVVM.

*De liberalitate S. ERPHONIS erga Ecclesias Dei,  
Deoque seruientes.*

**L**iberali quoque ac penè Regio, pij & deuoti Antecessoris, cognati sui Friderici, exemplo edoctus, & ab ineunte quasi ætate institutus, eandem in Ecclesias Dei, Deoque seruientes liberalitatem & benignitatem toto vitæ suæ curriculo exercuit; Cathedrali enim Ecclesiæ S. Pauli dedit, ac in perpetuum donauit Officium dictum Rimoldinckhoff, de quo antiquitus, quatuordecim continuis diebus molles casei, cum vno talento, vti vetusta habent manuscripta, ministrabantur, vnde adhuc appellatur Officium casearium, vulgò dasß Käyse Ampt, vique in hodiernum diem, de quâ donatione sequentes habentur antiqui Versus:

*Excellent meritò viuat venerabilis ERPHO,*

*Mente piâ, Chryste, Rimoldinghoeff dedit iste. r.*

Ministris vtriusque vitæ, Abbatia Fricconhorstenfis, qui non melius ferè jus, quam liti, id est, serui aut homines proprij, qui quotidie ad curtes seruiunt, habuerant, vnde etiam plurimum grauabantur ad petitionem Abbatissæ Alheidis, Præpositæ Idæ, Decanæ Eilæ, & reliquarum eiusdem prouisionis filiarum, tale jus dedit, quale habent, qui ad Episcopatum pertinent, & quale Dominus Fridericus pro suâ clementiâ ministris, qui ad Præposituram pertinent, ipso rogante & imperrante dederat, vti exemplare primi Diplomatis ante hac allegati, cuius Originale adhuc illæsum in Abbatia Fricconhorstenfis archiuo asseruatur, de Anno 1086. 3. Calend. Ian. latius demonstrat.

Ecclesiæ etiam Fricconhorstenfis amplas dedit decimas, in Dedicatione eiusdem Ecclesiæ, de quibus non minus humiliter, quam laudabiliter ait; se peccatorem & indignum Friderici Successorem, illas Ecclesiæ tradidisse. De his, inquam, decimis ministrari & dari voluit decem solidos in quadragesimâ pro coemendis hælcebibus. Et ne quis rem hanc valdè leuem, aut perexigui momenti fuisse existimet, sciendum omnino est, Anno 1350. florenum Rhenensem aureû valuisse tres solidos Monasterienses, id est, tum temporis Monasteriensis monetæ tres solidos adæquasse valorem integri floreni aurei Rhenensis, & postmodum labentibus seculis & Annis, eosdem solidos ita decreuisse, vt Anno 1512 in festo Sancti Martini florenus aureus habitus fuerit æquiualeere tribus marcis Monasteriensibus, id est, triginta sex solidis eiusdem monetæ Monasteriensis, deinde variâ iterum

muta.

mutatione & reductione factâ, tandem Anno 1544. 22. solidos Monasterienses floreni aureo æquiuales, existimatum est. Habitâ itaque temporis posterioris cum præcedenti ratione & collatione dicendum est, Anno 1090. & ante, florenum aureum, duorum solidorum Monasteriensium valorem non excessisse; fuerunt ergo tum temporis decem solidi, quinque; floreni aurei Rhenenses, 2. quin imò antiquissimis & primævis temporibus, solidos non aliud, quam aureos fuisse omnino mihi persuadeo; quod & in ipso jure Ciuili fundamentum suum habet, in jure enim nostro, solidus idem est, quod aureus. *Hotoman. in comment. verbor. jur. Verb. Solidus, ubi dicit aureum plerumq; solidum appellatum.*

Insuper, quod ipsius erga Deum, Deoque seruientes maximum, & in hodiernum vsque diem perseverans liberalitatis documentum est, Ecclesiæ S. Mauritij secundus extitit Fundator, ut in monumento ipsius scriptum inuenitur. Idem habetur in libro rubro insignis Collegij Mauritanij, Anno 1492. conscripto, fol. 34. pag. 1. in libro videlicet memoriarum & festorum Ecclesiæ S. Mauritij, sub lit. E. ibi in Festo Theodori Martyris 9. Nouemb. obiit EPRHO istius Sedis, intellige Mimingardens, Episcopus, nostra Ecclesiæ Fundator Secundus, quatuor solidos de Campo Richberti, nunc de domo subdiaconi, & peragetur ista memoriâ uti in notâ inferius signatâ, 3. Et fol. 49. pag. 2. de fundatoribus Ecclesiæ Mauritanæ, ibi, huic successit secundus Collegij Fundator & ampliator Diuus ERPHO Magnopolensis, Friderici cognatus, Et folio 503. pag. 2. ibi, sed Anno Domini 1347. erectum est Altare in Sacello Diui ERPHONIS Episcopi & Fundatoris Ecclesiæ Mauritanæ secundi. Videtur etiam S. noster erga Ecclesiam aut Templum Beatæ Mariæ Virginis Transaquas non mediocriter liberalis extitisse, dictumque Templum Altaribus ornasse, ut colligitur ex antiquo quodam Disticho, in manuscripto Episcoporum Monasteriensium Catalogo à Domino Matthæo Tympio relato.

*Hic Mariæ Templum positis Altaribus ornat,  
Quæ propriâ feruens consecrat ipse manu.*

N O T Æ

AD CAPVT OCTAVVM.

1. Continet autem Officium hoc, duodecim prædia non contemnenda, quorum hæc sunt nomina, 1. Bickermann in Amelensbüren/ 2. 3. Berendorff & Klüppel in Albachten/ 4. Wittinck in Gescher/ aut Gafgare, uti locum illum nominavit S. ERPHO, 5. Vermelinck in Greuen/ 6. Humbter in Hauixbeckel/ 7. Beckerman in Parochiâ S. Mauritij, 8. Dreruy in Nortwalde / 9. Beckehoue in Dthmars. Botcholt/ 10. Bueninck in Dthtorpe/ 11. Suerholt in Oldenberge/ 12. Stoe. uerman in Telgt/ horum prædiorum coloni omnes sunt serui aut proprij homines, tempore Sancti nostri appellati liti, vulgò Eigenhörige Leuthe/ & secundo in Anno, nimirum circa

Festum SS. Petri & Pauli, & circa Festum S. Martini, si bella minimè bella non impediunt, ad litoniloquium, vulgò die Hoffsprache/ comparere tenentur. Habet præterea hoc Officium ex alijs, aut ad alios proprietariè spectantibus prædijs, annuè in marcis, solidis & denarijs, tres marcas & vnum solidum, quæ tempore S. nostri iuxta supputationem superius factam, octodecim florenis aureis æquiuauerunt; nunc autem vnum tantummodo Dale-rum Imperialem, & nouem currentes solidos constituunt. Insuper soluuntur ex aliorum proprietariorum prædijs huic Officio annuè, vnum moltium & tria scepelina tritici, vnum moltium siliginis, tria moltia & sex scepelina hordei, & vnum moltium auenæ; similiter huic Officio ex diuersis prædijs sanguinolenta competit decima, denique duo habet Feuda, die Knippenbergs oder Vermögensworte in Zelgt / Item, die Doelbergs Hoene in Sendenhorst / quæ modo Schenckingh in Boegedincf / vti Vasallus possidet.

2. Ne quis quoad mutationem solidorum, ac moneta Monasteriensis, me absque ratione aut fundamento aliquid asserere existimet, præsens exemplar, ex antiquo impresso originali transumptum, huic scripto nostro adiungere, & apprimi facere, opera pretium visum fuit, vt vniuscuiusque desuper liberum sit iudicium, & antiquitatis penitus nihil ignoretur. Est autem subinserti tenoris.

Item/ man findet in des Erbaren Raths von Münster Boeke/ dat de golde Gûlde gegolden hefft im Jahr 1350. drey Schillinge/ vnd so vortan jâhrlichs mit 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Pfenninge vpgestegen oder verhøget/ dat he im Jar 1404. gegolden hefft vier Schillinge/ vnnnd von düssen vorbenampten Jahren ist de Guld den Gûlde noch vpgestegen/ so dat he im Jahr 1414. gegolden hefft schier 6. Schillinge/ vorder ist de Gûlden von den Jahren sîrgetelt vpgestegen jâhrlichs / also dat Anno 1422. de Gûlde gegolden hefft 7. s. 6. pf.

		Schilling.	Pfenninge.
ANNO	1422	7	6
	1423	8	
	1424	9	
	1425	8	9
	1426	9	
	1427	8	
	1428	9	3
	1429	9	6
	1430	10	3
	1431	10	9
	1432	11	
	1433	11	4
	1434	11	6

Schill. Pfenn.

1435	—	—	11	—	8	—
1436	—	—	11	—	9	—
1437	—	—	12	—	—	—
1438	—	—	12	—	—	—
1439	—	—	12	—	3	—
1440	—	—	12	—	6	—
1441	—	—	13	—	4	—
1442	—	—	13	—	4	—
1443	—	—	13	—	4	—
1444	—	—	13	—	4	—
1445	—	—	13	—	4	—
1446	—	—	13	—	4	—
1447	—	—	13	—	6	—
1448	—	—	13	—	6	—
1449	—	—	12	—	—	—
1450	—	—	13	—	2	—
1451	—	—	13	—	3	—
1452	—	—	13	—	4	—
ANNO 1453	—	—	14	—	—	—
1454	—	—	14	—	—	—
1455	—	—	14	—	4	—
1456	—	—	14	—	4	—
oick im selbigen Jahre	—	—	14	—	6	—
1457	—	—	14	—	6	—
1458	—	—	14	—	6	—
oick im selbigen Jahre	—	—	15	—	0	—
1459	—	—	15	—	0	—
1460	—	—	15	—	—	—
1461	—	—	15	—	—	—
1462	—	—	15	—	—	—
1463	—	—	15	—	—	—
1464	—	—	15	—	3	—
1465	—	—	15	—	6	—
1466	—	—	15	—	6	—
1467	—	—	15	—	6	—
1468	—	—	15	—	9	—
1469	—	—	15	—	9	—
1470	—	—	15	—	9	—

ANNO

OMMA

8471

Schill. Pfen.

			Schill.	Pfen.
1471	8	—	16	0
1472	—	—	16	3
1473	—	—	16	4
1474	—	—	16	6
1475	—	—	17	3
1476	—	—	17	6
1477	—	—	18	0
1478	—	—	19	0
1479	—	—	19	6
1480	—	—	20	3
1481	—	—	21	0
1482	—	—	22	6
1483	—	—	23	3
1484	—	—	24	0
1485	—	—	24	9
1486	—	—	24	9
1487	—	—	25	6
noch im selbigen Jahre	—	—	27	0
ANNO 1488	—	—	28	6
noch im selbigen Jahre	—	—	30	0
und noch im selbigen Jahre	—	—	22	6
1489	—	—	22	6
im selbigen Jahre	—	—	15	0
1490	—	—	15	0
1491	—	—	15	0
1492	—	—	16	0
1493	—	—	16	6
noch im selbigen Jahre	—	—	17	0
noch	—	—	17	6
1494	—	—	18	0
1495	—	—	18	0
1496	—	—	18	0
1497	—	—	18	0
1498	—	—	18	0
1499	—	—	18	0
1500	—	—	18	6
1501	—	—	19	0

Schill. Pfenn.

	Schill.	Pfen.
1502	19	6
vff Jacobi wiederumb	15	0
1503	20	0
1504	20	6
1505	21	0
1506	22	0
oick	23	0
noch	24	0
1507	23	0
oick	24	0
weder vff Jacobi	18	0
1508	24	6
vff Jacobi	25	0
1509	25	0
im söluen Jahre	25	6
1510	26	0
1511	27	0
im söluen Jahre	28	0
ANNO noch	28	6
1512	29	0
noch im selbigen Jahr	30	0
noch	31	0
noch	32	0
	33	0
	34	0
vnd	35	0
noch vff Martini	36	0
1513 ist de Gilden gesath vff	18	0
1514	18	0
1515	18	0
1516	18	0
1517	18	0
1518	18	0
1519	18	0
1520	18	0
1521	18	0
1522	18	0
1523	18	0

G noch



ANNO

	Schill.	Pfen.
noch im selben Jahre	19	0
1524	20	0
1525	21	0
1526	21	0
1527	22	0
1528	23	0
1529	23	0
darna oick	20	0
oick	25	0
1530	24	0
1531	26	0
im selben Jahre vff Michaelis	27	0
im selbigen Jahr vff Martini	28	0
1532	28	0
1533	28	0
1534	29	0
oick	30	0
1535	31	0
1536	32	0
oick	33	0
1537	34	0
oick im selbigen Jahre	35	0
oick	36	0
eodem Anno vff Michaelis	18	0
1538 vff Pfingstern gesatt vff	36	0
eodem Anno vff Michaelis	18	0
darna vff Martini	19	0
eodem Anno vff Natiuitatis Chri-		
sti	20	0
1539 vor Pingsten	21	0
1540	21	0
im selben Jahr	22	0
1541	22	0
1542	22	0
1543	22	0
1544	22	0
1545	23	0

OMMA

				Schilling.	Pfen.
ANNO	1546	=====	=====	23	0
	1547	=====	=====	23	6
	1548	=====	=====	24	0
	1549	=====	=====	24	0
	1550	=====	=====	24	0

3. Porro nota hac est talis, Nota. Memoria Beati ERPHONIS huius Sedis Episcopi, qui fuit Secundus Ecclesie nostrae Fundator, peragetur circa Festum B. Martini, cantabuntur Vigiliae in Capella eiusdem, cum lectionibus longioribus, Parce mihi Domine, &c. cum Inuitatorio Circumdederunt me, &c. ac ibidem ponentur quatuor cerei, ad quatuor extremitates panni serici in pavimento extensi, quodlibet lumen de talento cera, quorum vnum Custrix Conuentus S. Mariae Monasterij Transaquas tenetur ad hoc ministrare, & Thesaurarius pro tempore alia tria procurare, & illud vnum à Custrice etiam facere afferi, quae quatuor lumina praedicta incensa, ab initio Vigiliarum continuò ardebunt sine extinctione vsque in crastinum, donec Missa animarum fuerit finita, quorum superflua cedunt Thesaurario praedicto, vti in ordinario nouo signatum est.

## CAPVT NONVM.

### De Concilio Claromontano, declaratâ ibidem auctoritate Urbani Secundi Papae expeditione Hierosolymitanâ, & itinere S. ERPHONIS in Terram Sanctam.

Interim regnante in Oriente Imperatore Alexio Comneno, & Romanae Ecclesiae Praesidente Urbano Papa, eius nominis Secundo, iterum atque iterum urgentibus literis Imperatoris Constantinopolitani, quibus nuntiabatur ob Turcarum progressus Orientalem Ecclesiam periclitari, Concilium ad Clarum montem indictum fuit, in eoque Urbanus Papa gnauiter agere coepit, ut à fidelibus Christianis ferretur auxilium periclitanti Orientali Ecclesiae, potissimum verò Hierosolymorum, à cuius Patriarcha Simeone, deferente Petro Heremita, literas commiseratione dignas acceperat, quibus Christi Incunabula atque Sepulchrum, caeteraque Loca Sancta, ipsius memoriae consecrata, ab infidelibus Turcis profanata, omniq; genere contumeliarum affecta deplorabat. Habitis itaque pluribus in hoc eodem Concilio ab Urbano Papa eâ de re exhortationibus & concionibus, ac qui aderant Ecclesiarum, Praelatis commonitis, ut ad propria reuersi, cum omni instantiâ & debi-

debitâ sollicitudine plebes suas ad idem hortarentur, expeditio in Terram Sanctam decreta fuit.

Inde autem recedentes Episcopi & Prælati illud impigrè præstantes aded profecerunt, vt præ multitudine dantium nomina, opus fuerit adhortari quam plurimos, quorum vel ætas vel valetudo, ponderi militari subeundo, impar esse manifestis inditiis videretur. Erat verò pro stipendio indulgentia peccatorum propofita, atque pro tesserâ militari signum Sanctissimæ Crucis rubei, aut, vt habet Ludouicus Aurelius in contractione Annalium Ecclesiasticorum Baronij lib. 11. ad Annum Christi 1095. & Turfelin. in Epitom. histor. lib. 8. sub Henrico IV. purpurei coloris, super scapulam dextram impressum vestibus; & vt nihil ire volentibus obiiceretur impedimenti, ante omnia placuit decreto Synodali statuere, vt cuncta bona eorum, qui militarent, semper & vbique essent in pace, & vt vocabant, Treugâ, nempe ab omnibus inquietationibus libera, quousque rediissent.

Hac igitur Episcoporum & Prælatorum ex Concilio redeuntium, & impigrè officium suum præstantium exhortatione, instantiâ & sollicitudine variisque eorundem concionibus commotis quam plurimis, multisque tam Episcopis & Prælatis, quam aliis nomina sua sacræ militiæ dantibus, Sanctus quoque vir ERPHO, sacræ & gloriosæ in Terram sanctam expeditioni deesse noluit. Et quamquam vir coram Deo iustus & Sanctus esset, attamen se iniustum & peccatorè humiliter reputans, pro indulgentiâ peccatorum consequendâ, militiæ sanctæ nomen dedit, signumque sanctissimæ Crucis, rubei aut purpurei coloris, vt habet historia, pro tesserâ militari assumpsit. Idem confirmatur ex libro rubro Collegij Mauritanij, fol. 49. pag. 2. vbi sequentia habentur. *Huic, nimirum Friderico, successit secundus Collegij Fundator Diuus ERPHO Magnopolensis, dicti Friderici cognatus. Hic suscepto Crucis signo, & secum Ludolphus tunc Præpositus huius Ecclesiæ, cum multis Nobilibus & Principibus, quorum Duces & primicerij erant Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, & duo Roberti, quorum alter Normandia, alter Flandriæ Comes, & item Godofridus, Eustachius & Balduinus cognomento, Boliani, Galitiæ Comites. profecti sunt Anno salutis 1084. 2. in expeditionem Hierosolymitanam contra Turcas & Saracenos, vbi in sanctâ terrâ Ludolphus Præpositus occisus est. 3.*

Iter autem hoc Hierosolymitanum tanto promptius & libentius S. ERPHO arripuit, & obuiis quasi vlnis acceptauit, quod videret, & quotidie experiretur omnia Henrici Imperatoris acta & gesta semper in peius ire, atque ita fortiter in manifestas contra Ecclesiam Romanam flammis, vindictasque erumpere, vt vix pauci Germaniæ Antistites eius furorem, & insolentam planè indignationem euadere potuerint; Vt igitur omni sese eriperet periculo, occasionem hanc declarata in Terram sanctam per ipsam Summum Pontificem expeditionis, S. noster

ita

ita promptè arripuit, vt ab octauâ Festi S. Martini, Anno 1095. vsque ad 3. Idus Februarij Anni 1096. id est, intra tres Menses, non solum sacram militiæ tesseram assumpserit, sed etiam ipso facto & actu sese itineri commiserit, malueritque pro nomine Christi esse peregrinus & exul, quam horrendæ & dolendæ Ecclesiarum Germaniæ confusionis vltèrius superesse spectator.

Porrò illud minimè mirandum, aut vllatenus in sinistram partem trahendum est, quod Sanctus Vir ERPHO Episcopus ad regendam Dei Ecclesiam deputatus, iuxta illud Apostoli, *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, Concil. Tridentin. Sess. 6. de reform. cap. 1.* nomen suum sacre militiæ dederit, quia illud vti sacri Canones Episcopis & Clericis, maximè iubente & adhortante Summo Romanæ Sedis Pontifice expressè permittunt, *Can. igitur cum sepè 23. quest. 8. vbi Gloss. in verbo egressi, dicit, Episcopi possunt interesse bellis, nam & Sanctus Paulus interfuit. Can. Maximianus 23. quest. 3. & Can. de occidendis, ibi aut verò quoniam Paulus Apostolus 23. quest. 5. imò in tali bello occumbentibus præmium cæleste promittunt Can. omni tempore 23. quest. 8.* atque etiam hostilitatum, tentationumque omnium repulsio, Episcopis suprâ gregem Domini iugiter vigilantibus, vel maximè conuenit, iuxta exemplum Iudæ Machabæi, qui induit seloricam sicut Gigas, & succinxit se arma bellica in prælijs, & protegebat castra gladio suo 1. Machab. 3. præest enim Episcopus Ecclesiæ, quæ est terribilis, vt castrorum acies ordinata. Cellot. in tract. de Hierar. lib. 6. cap. 4. §. 7. ita & alij sanctissimi Antistites idem fecerunt, inter quos eminet Bonfilius Auximanus, sanctissimus Fulginei apud Umbriam Episcopus, qui & alios nonnullos suæ ipsius Diocesis, sacrorum ministros secum tulit: Ludou. Aurel. in contract. Annalium Baron. dicto lib. 11. Anno Christi 1095. §. Nec reticendus.

Quibus & illud adiungere placuit, quod tum temporis Rogerij Apuliæ & Campaniæ Ducis frater Boamundus, ardore nimio ad sacrum bellum accensus, sericum pannum afferri iustum, innumera in frustra consciderit ad sacras cruce militiæ tesseras concinnandas, vti refert idem Ludou. Aurel. ad Annum Christi 1079.

Professionem autem & iter S. nostri è Diocesi Monasteriensi aut Mimigardfordensi in Terram sanctam quod attinet, posset quidem non leuibus motus argumentis quis asserere, illud Anno 1091 pridie Idus Februar. contigisse: eius enim originale Diploma in Archiuio Fricconhorsteni conseruatum sic habet, quod istius Diplomatis Anno 1090. erecti tertium bannum 3. Idus Februar. consecrans in Ecclesiâ Cathedrali Altare S. Iohannis Baptistæ, & peccatores pro reconciliatione in Ecclesiam introducens, promulgauerit, asserens se insequenti die Hierosolymam iturum, prout modò memorati Diplomatis habent formalia. Huic sui ipsius testimonio sequentes accedunt rationes. Primò, quod videatur bannum Episcopalem de bimestri in bimestre tum temporis proclamari solitum,

vt ex ipso Diplomate latius & expressius videre est, ideoque de tam Sancto Viro  
 & Antistite solertissimo præsumendum aut statuendum non sit, eum tam socordè  
 aut negligentem fuisse, vt tertiam banni promulgationem ad aliquot annos distu-  
 lerit. Secundò, quod pius Præsul & zelosus veritatis amator, huic subscriptioni  
 expressè ac sollicitè absque dubio adiungi curasset, illam aliquot annis post primam  
 & secundam promulgationem contigisse, atq; ita etiam ipsum Annum (si de im-  
 mediatè sequenti Diploma suum non intellexisset, aut intelligi voluisset) factam  
 tertiam promulgationis expressisset. Tertio, quod asserat primam banni promul-  
 gationem factam 4 Non Septemb. secundam 4. Non. Nouemb. tertiam 3. Id. Fe-  
 bruarij, quæ non nisi de Nonis & Idib. immediatè sequentibus accipienda & in-  
 telligenda sunt, prout etiam aliter congruè accipi aut intelligi non possunt. Quar-  
 to, quod hæc vltima banni promulgatio eadem manu, eodemque caractere,  
 quamuis minori & compressiori, scripta inueniatur, quod vtique post aliquot an-  
 norum curriculum probabiliter & verisimiliter fieri non potuisset, Secretariis aut  
 Amanuensisibus interim mutatis aut mortuis. Quibus rationibus & argumentis  
 quivis facillimè conuictus statueret & assereret, hanc expeditionem incidisse in  
 Annum Domini 1091. & S. ERPHONEM in suo Diplomate Anno 1090. 4.  
 Non. Nouemb. erecto postmodum mentionatas Februarij Idus, illas de Anno  
 proximè insequenti, & non posteriori, intellexisse, & intelligi voluisse. Sed cum  
 communis & ferè constans 4. Historicorum sit sententia, Concilium Claromon-  
 tanum Anno 1095. celebratum, illudque Hierosolymitanam expeditionem sub  
 Godefrido Lotharingæ Duce Anno 1096. subsecutam esse, priori sententiæ  
 firmiter inhærerere non ausim; Credibile igitur est, famam per Dioccesin Monaste-  
 riansem inualescente, Virum Sanctum Cruciatæ nomen dedisse, ac iam omnia ad  
 ipsius discessum & iter in Terram sanctam composita, ipsumque velut in procin-  
 ctu esse, vniuersos eius fideles ac subditos de componendis & peragendis omni-  
 bus ante illius discessum, ad animæ corporisq; salutem necessariis, sollicitos fuisse,  
 quod multorum pœnitentium adhuc pridè arrepti itineris, cum Ecclesiâ facta  
 reconciliatio & absolutio, satis demonstrat, sicque inter alios & Abbatissam Vir-  
 ginesq; Fricconhorstenses rebus suis prospicere satagentes rogasse, vt ordinationi  
 Episcopali fœlicibus suis auspiciis erectæ, extremam manum apponeret, id est,  
 pro maiori eius firmitate & robore, tertium bannum Episcopalem, monendo &  
 exhortando ante iter tam periculosum & longinquum adhuc semel vniuersos,  
 promulgaret. Quod autem S. ERPHO ipsum etiam huius tertiam promulgationis  
 Annum exprimi non fecerit, illud idè factum esse existimo, quod putaret satis  
 esse, si tantum exprimeret, se insequenti die Hierosolymam in tam celebri expedi-  
 tione iturum, ex quo omnis posteritas annum facillimè scire & colligere posset; cer-  
 tum enim habebat tantæ & tam famosæ expeditionis, quâ vniuersus Occidens  
 commotus fuit, annum, apud posteros ignoratum non iri.

1. P. Francisc. Longo à Coriolano Capuccinus in summâ Conciliorum, de Claromontano sub Urbano II. celebrato, mentionem faciens, referensq; Canones eiusdem, dicit secundum istius Concilij Canonem fuisse subsequenter tenoris. Quicumq; pro solâ deuotione, non pro honoris vel pecunie adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei, Ierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur. Cum itaq; S. ERPHO pro solâ deuotione, non pro honoris, aut pecunie adeptione, iter Hierosolymitanum susceperit, illud ipsi, quamuis & tum Sancto, pro omni pœnitentiâ reputatum fuit.

2. Hic error irrepfit, An. enim 1084. S. ERPHO nondû actualiter fuit Monasteriensis Episcopus, ut superius manifestè probatum est; Apparet autem errorem hunc descriptû ex Platina de vitis Pontificum sub Urbano II. ubi eadem ferè verba inueniuntur, quem auctorem tum temporis, nimirum Anno 1529. recenter editum tanquam neotericum, & quem præ alijs veritatem attingisse existimabat, libri Mauritanii scriptor & compilator secutus esse videtur.

3. In libro memoriarum & Festorum Ecclesie Mauritanie fol. 24. pag. 1. sub lit. D. de hoc Ludolpho Præposito sequentia inueniuntur. Quatuor Coronatorum Martyrum 8. Nouembr. Ludolphus Præpositus huius Ecclesie, Presbyter, occisus in Terrâ Sanctâ, dedit decem marcas Ecclesie nostre, qui vnâ cum ERPHONE profectus est in Terram sanctam. Et paulò superius in eodem libro, Pro memoriâ Ludolphi Præpositi nostri in Terrâ sanctâ occisi, Præpositus & Conuentus in Cappenberg, dabunt Ecclesie Maiori 11. solidos pro eiusdem anniuersario; Ex quo & illud colligere licet, etiam tum temporis Præpositos S. Mauritij fuisse Canonicos Cathedralis, ac habuisse proprietatem, & liberam suorum bonorum administrationem, alioquin dictus Præpositus pro memoriâ suâ aliquid Ecclesie dare non potuisset.

4. Non absque causâ asserui esse communem & ferè constantem Historicorum sententiam Concilium Claromontanum Anno 1095. celebratum esse, aliqui enim authores in hoc variare videntur: nam imprimis Platina de vitis Pontificum sub Urbano II. expressè habet, illud ante Annum 1084. aut certè illo Anno celebratum esse, cuius hæc sunt formalia. Pontifex itaq; cum in Italia nullibi quietis locum cerneret, in Gallias profecturus. Placentie Synodum habuit, in quâ licentiam quorundam Ecclesiasticorum mirificè compefcuit. Inde verò in Gallias abiens rem memoratu dignam aggressus est; Concilio enim apud Clarum Montem habito, ita Principes Gallie ad recuperandam Hierosolymam, à Saracenis iam diu occupatam animauit, ut Anno salutis millesimo & octogesimo quarto trecenta millia hominum nonnen in militiam Christi dederint, signumq; Crucis susceperint. Deinde & suprâ mentionatus P. Franciscus Longo à Coriolano in summâ Conciliorum, sub Urbano II. Concilij Claromontani mentionem faciens, referensq; Canones eius, 32. descriptos in Codice Lamberti Episcopi Atrebatensis, quos totidem lineis Antonium Augustinum descripsisse astruit, dicit decreta Domini Urbani Pape II. Anno Christi 1094. in Decemb. in Claromontensi

Concilio facta esse, vbi etiam asserit, dicere describentem, Antonium Augustinum vt puto, librum Lamberti Episcopi Atrebatensis ante 400. Annos conscriptum esse: Eundem Claromontensis Concilij Annum astruit Antonius Guelfi Florentinus in summario vitarū Imper. nuper, nimirum Anno 1642. Macerata Italico idiomate impresso, sub Henrico IV. Quidam quoque Anonymus auctor, qui scripsit historiam à mundo condito, illam in septem etates partitus, cuiusq; opus Anno 1493. Norinberge impressum est, expressè dicit, celebrationem Concilij Claromontensis contigisse eo Anno, qui Christianæ salutis nonagesimus quartus, supra millesimum fuit. Existimo autem auctorem hunc anonymum esse Hartmannum Scedel Nitribergensem, ille enim inter alia scripsit ex Iacobo Pergamensi, & alijs historicis, addens nonnulla, maximè de rebus Germanorum, opus grande & insigne, quod continet historias temporum: claruit Anno 1494. vti tradit Conrad. Gesner. in Epitome Bibliotheca. Videt itaq; beneuolus Lector, quoad annum celebrati Concilij Claromontensis historicos non omni ex parte conuenire. Quin imò idem auctor Anonymus habet sæpe dictum Concilium Claromontanum subsequente expeditionis Hierosolymitanæ initium fuisse Anno 1094. & tum temporis trecenta hominum milia insignita & censita, qui etiam tradit Anno 1097. post varias consultationes, multasq; prauis difficultates Ciuitatem Antiochenam naturâ loci munitissimam obsideri cœptam esse, captamque. Dein Calend. Octob. Antiochia conuenientes expeditionis Christianæ Principes, & declarato Boamundo Antiochia Duce, Hierosolymam exercitum mouere instituisse, atque ita Anno sequenti, nimirum 1098. 4. Non. Maij, illis ea proficiscens post duorum & paulò ampliùs mensium obsidionem, nimirum Idibus Iulij, Ciuitatem Hierosolymitanam occupatam esse, quæ omnia posterioribus Annis contigisse Historici communiter asserunt, vnde veritatis studiosius indaganda cuilibet materiam & occasionem relictam cupio

CAPVT DECIMVM.

*De Godefrido Boloniensi Comite, Bullionij Domino, & postmodum per adoptionem Lotharingæ Duce, in cuius laudabili & pio comitatu S. ERPHO in Terram sanctam perrexit.*

**G**odefridus Comes Boloniensis, Bullionij Dominus, & postmodum Lotharingæ Dux, vti habet Wilhelmus Tyrensis Archiepiscopus, historiæ suæ lib. 9. cap. 3. oriundus fuit de Regno Francorum, de Rhemeni Prouinciâ, Ciuitate Boloniensi, quæ est secus mare Anglicum sita 1. ab Illustribus & Religiosis originem ducens progenitoribus. Pater eius fuit Dominus Eustachius Senior, Illustis & Magnus eiusdem regionis Comes, cuius multa & memorabilia fuerunt opera,

opera, quorum adhuc apud Seniores finitimarum regionum memoria est in benedictione & pia recordatione, Viri Religiosi & timentis Deum; Mater verò inclita & inter Occidentis Nobiles matronas, tum morum prerogatiuâ, tum generositatis titulo præclara Ida nomine, Lotharingæ Eximij Ducis Godefridi, qui cognominatus est Struma, soror, qui postmodum cum sine liberis esset, nepotem æquiuocum in filium suum adoptauit, eumque vniuersi patrimonij sui heredem instituit, vnde eidem defuncto in Ducatu successit, sicque Lotharingæ Dux appellatus est. Adeptus est autem possessionem Ducatus Lotharingici, antea nimirum Anno 1083. ipsi concessi, Anno 1089. vt post Sigibert tradit Iacob. Gordon. Societatis IESV, ad dictum Annum 1089.

Hic, inquam, Boloniensis Comes, & Bullionij Dominus, vt alibi relatum est, postmodum etiam per adoptionem Lotharingæ Dux, post Walterum & Petrum Eremitam, nec non Godeschalcum natione Teutonicum, illis nimirum in mense Martio, ac immediatè insequentibus præeuntibus, in Augusto conuocatis viæ consortibus, & compositis de more sarcinis iter aggressus est. Cùm itaque Walterus qui primus iter arripuisse dicitur, superatis magnis difficultatibus demum Constantinopolim peruenisset, eumque secutus Petrus Heremita, & ipse magnam cladem suorum passus, cum reliquijs copiarum suarum tandem & eo appulisset, superuenit & post hos, ante tamen Godefridum Lotharingæ Ducem iter arripuit Godeschalcius Sacerdos, natione Teutonicus, ob dissolutam militum suorum vitam, extremam cladem non iniuste passus. Huius Godeschalci dissoluti milites, & non alij, magnam illam pluribus in locis Iudæorum stragem ediderunt, de quâ post Bertholdum, & alios istius temporis Scriptores mentionem facit Spondan. ad Annum Christi 1096. num. 2. Quod idè addere volui, ne quis fortè errore ductus existimet, Sanctum Virum & Antistitem. ERPHONEM, cum illâ hominum colluuiè in Terram sanctam iuisse, & vt beneuolus Lector aduertat, crimina illa, quæ separata & desperata ista hominum colluuiès perpetravit, satis inaduertenter vniuersæ multitudini Cruce signatæ à Spondano imputari, quem manifestè conuincunt Wilhelmus Tyrensis Archiepiscopus, & Abbas Urspergensis, ad quorum scripta breuitatis amore me refero. Godefridus verò Lotharingæ Dux, & Balduinus frater eius, præterea Podiensis Episcopus, & Raimundus S. Ægidij Comes, & Hugo Magnus Philippi Regis Francorum Frater, & duo Roberti, quorum alter Normandiæ, alter Flandriæ Comes erat, & Stephanus Cornoti Comes, transmissis Alpibus magnis copiis iter per Italiam facientes primò Romam peruenere, vnde recognitis prius Sanctorum Reliquiis, Sacellisque inuisis, acceptâ à Pontifice benedictione Brundisium peruenere, inde in Epirum traiecturi. Verum quia non omnes idem portus capiebat, (tanta erat multitudo) pars Barum, pars Hidruntum petiit. Boamundus autem, de

H

quo



quò suprà, cupiditate gloriæ incensus relictâ Melphi, cum duodecim millibus electorum hominum Italicæ iuuentutis, in eandem expeditionem proficiscitur. Huius autem virtus & animi præstantia ad eò fratrem Rogerium permouit, vt positis armis dixerit, sibi omnia cum fratre communia deinceps fore, ac statim Tancredum filium pugnandi cupidum belli Comitem fratri tradidit, teste Platini. in vit. Pontif. sub Urbano II. Credendum itaque omnino est S. nostrum in eiusmodi Comitatu Romam peruenisse, & recognitis prius SS. locis, Sacellis inuisis, & acceptâ à summo S. Sedis Apostolicæ Præsule benedictione in Terram sanctam perrexisse, & non paucas Romæ existentem reliquias, de quibus inferius, collegisse.

Porrò non refert, quod Sancti nostri Episcopi ac Præsulis Wilhelmus Tyrius accuratus huius expeditionis scriptor nullam mentionem faciat, cum enim de arrepto Ducis Lotharingiæ itinere meminit, hæc formalia verba subiungit; *Fuerunt autem qui eius castris se adiunxerunt Viri Nobiles & inclyti & perpete digni memoria, eius frater vterinus Dominus Balduinus de Montibus, Dominus Balduinus Hauracorum Comes, Hugo Comes de Sancto Paulo, & Engelramus filius eius, Dominus Gernerus cognomento Gress; Renardus Comes Tholensis & Petrus frater eius, Balduinus de Burgo, eiusdem Ducis consanguineus, Henricus de Ascha & Godesfridus frater, Dodo de Cons, Cono de Monte acuto, & alij plures, quorum nomina non tenemus vel numerum, qui omnes vno & in diuiduo comitatu pariter incedentes, 20. Septembr. die in Prouinciam quæ dicitur Desserreich/ ad locum, qui dicitur, Tollenburgh/ cum omni tranquillitate sani & incolumes peruenierunt. Idem Auctor cum de itinere Comitis Tholofani & Episcopi Podiensis mentionem facit, sic habet. *Cum quibus erant Viri Nobiles, & apud suos tam nobilitate, quam morum elegantia Clarissimi, Wilhelmus Aurasiensis Episcopus, & Ramboldus eiusdem Ciuitatis Comes, & alij multi, quorum etsi nomina non tenemus; certum tamen est, ea in libro vite conscripta esse, quippe qui patriam, cognationem, & latè diffusa patrimonia relinquentes, Christum secuti sunt, voluntariam amplexi paupertatem. Ex quo ipsius auctoris testimonio manifestum euadit, eum omnium hac expeditione pro Christo in Terram sanctam euntium nomina non sciuisse, vt ita nemo dum S. nostri nomen inter alios, ab historico illo expressum non inuenit, existimare aut suspicari debeat, illa quæ de ipso manuscripta & impressa ac communis fama, quin imò sui ipsius manifestum habet testimonium, veritati minus consentanea, sed potius certissime & verissime de ipso statuendum esse, eius nomen in libro vite conscriptum, vtpotè qui patriam, cognationem, amicos, & latè diffusa patrimonia relinquens, Christum secutus, voluntariam amplexus sit paupertatem.**

NOTÆ

1. Cluuer. in *introduc. Geograph. lib. 2. cap. 12. de Ciuitate hac Boloniensi, aut Bononiensi* dicit, illam quondam portum Gessoriacum, & in antea Itium appellatam, postmodum Bononiam dictam, nunc verò appellari Boulogne, linguâ nimirum Gallicâ, Ioannes de Lait in *commentario de Francorum Regis dominijs & opibus, in descriptione Picardie, fol. 7 de Bononia Comitatu & Bononiâ Oppido, inter cetera refert sequentia.* Bononiæ Oppidum duplex, Superius & Inferius, illud altiore loco situm, Burgus tantum dum ab Anglis obsideretur: hoc autem planiora occupans mare alluit, alterum ab altero distat passibus centum aut circiter, Oppidū hoc ab Anglis recepit Rex Gallie Anno 1550. Bononiæ Comitatus satis est amplus, totus hic tractus arenosus est, eius generis arena, quam vrentem vocant, Initium Bononiæ Comitatus à Montibus S. Ingelberti, procurritq; ad fluiuium Cancham, quæ eius longitudo: latitudo ad lacum vsque Tournocensem porrigitur. Dignitatem hic Comitatus adeptus est tempore Caroli Calui. Erectio Episcopatus Boloniensis facta est Anno 1566. Carolus autem dictus Caluus, filius Ludouici Pij, successit Patri in parte Regni Anno 840. Coronatus quoq; fuit Imperator à Ioanne Papa Anno 875. & mortuus est Anno 877. vti hæc omnia pluribus refert Spondan. Igitur arenosus ille superius mentionatus districtus ante Annum 877. dignitatem Comitatus necessariò adeptus est, atque ex horum Comitum descendentibus & familiâ natus est Godefridus Comes Boloniensis, Bullionij Dominus (illo enim seculo Bullion nondum Ducatus erat teste Crantz. *Metropol. lib. 5. cap. 22.*) ac etiam per adoptionem Lotharingiæ Dux, postmodum autem tanquam gloriosus triumphator, cooperante & commilitante S. nostro, Rex Hierosolymorum. Est itaq; patria eius Bolonia aut Bononia, vulgò Boulogne, quam Bononiam Gallicam Hartmannus Schedel Nurebergenensis, aut quisquis est Authoꝝ istius operis, nominat, non autem Bullion aut Bullionense tum temporis dominium.

2. Habet D. Doctor Gigas piæ memoria, in *Catalogo Episcoporum Monasteriensium S. ERPHONEM* cum Duce Bullioneo interfuisse militem gloriose expeditioni in Terram sanctam, idem etiam habent diuersa manuscripta. Fuit autem idem ille qui Comes Boloniensis & Dux Lotharingiæ appellatur, Godefridus nomine. Inuenitur enim in *Historia Leodiensi* sub Oberto 55. Episcopo, quod huic Godefrido inter cetera possessionis suæ prædia, fuerit Castrum Bullio nomine, nature operâ valde munitum, inter confinia duorum Regnorum positum, Francorum scilicet & Lotharingiorum, adiacentibus vtriusque Regni Prouincijs, in super quod Oberto Viro sagaci, vtiliumq; prouisorii, in negotijs diuinis & humanis apprime erudito, Episcopo, atque Ecclesiæ Leodiensi, dictum Castrum Bullio, Godefridus certis pactis & conditionibus vendiderit, vt ita Godefridum, alij Bullionei Dominum, alij Ducem historici non injuriâ nominauerint, & talem esse ac fuisse non absque fundamento scripserint.

## CAPVT VNDECIMVM.

*De Comitibus aut Sodalibus itineris S. ERPHONIS ex VVestphaliâ in Terram sanctam, quod diuersos suo exemplo commotos inde secum abduxerit, & quod Ludolphus Præpositus S. Mauritij ibidem occisus sit, Item quid in itinere & Terrâ sanctâ egerit, & quid ipsi sibi, alijsque socijs suis contigerit?*

**S**ERPHONEM laudabili aliorum Episcoporum incitatum exemplo, post assiduam populi sibi concrediti exhortationem, solum aut nullo stipatum milite Sanctæ expeditioni sese comitem adiunxisse, probabile neuiquam est, tum quod quam plurimos eius proprio exemplo, accedente insuper continuâ ipsiusmet exhortatione commotos, sacræ militiæ nomen in hoc Monasteriensi Episcopatu, dedisse existimandum sit, tum quod in sæpius commemorato Diplomate secundo Fricconhorstenfi, plurimorum de Clero & multorum Nobilium, tam militum suorum, quam Ecclesiæ suæ seruientium mentionem faciat, prout etiam militum suorum in subscriptione primi Diplomatis meminit, quos omnes ipsum in Terram sanctam euntem deseruisse credi aut prælumi minimè potest aut debet, quod vel exinde certissimum est, quod D. Ludolphus tum temporis S. Mauritij Præpositus, cum illo inter alios in Terram sanctam iuerit, ac ibidem occisus sit. 1.

Præterea & illud omnino certum & indubitatum est, huius expeditionis gloriosum, & triumphantem fuisse exitum, nam de eâ refert Wilhelmus Tyrensis, prout & alij historici, quod imprimis Christiani milites obsederint Ciuitatem Nicæam, quæ etiam Anno 1097. mense Iunij 20. die, capta est. Anno 1098. capta est Antiochia die 3. mensis Iunij. Anno autem ab Incarnatione Domini 1099. 15. mensis Iulij feriâ sextâ circa horam diei nonam, captam esse dicit Wilhelmus Tyrensis Ciuitatem Hierosolymitanam, Anno tertio ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis onus sibi adsumperat, præsidente Romanæ Ecclesiæ D. Urbano Papa Secundo, Romanorum verò Imperium administrante Domino Henrico Quarto, in Francia regnante D. Philippo, & apud Græcos Alexio Comneno.

Rebus itaque prosperè gestis & constituto Rege Hierosolymorum Gothefrido Lotharingæ Duce, Deo amabiles, deuotique Principes Normannorum & Flan-

Flandrenſium Comites, conſummato feliciter adſumptæ peregrinationis itinere ad propria redire diſpoſuerunt, vnde iter arripientes nauigio Conſtantinopolim ad Dominum Imperatorem Alexium peruenierunt, à quo benignè tractati, & cum honeſtis dimiſſi muneribus, auctore Domino, in ſuam ſani, & incolumes ſe patriam receperunt.

Illis igitur Anno 1099. & 1100. in Terram ſuam, & ad propria redetuntibus S. quoque ERPHONEM, vtpote qui expeditione feliciter & glorioſè peractâ, à ſuo Episcopatu & ouibus curæ & ſollicitudini ſuæ commiſſis diutius abeſſe noluit, reuerſum eſſe firmiter tenendum eſt. Interim S. noſter in itinere & Terrâ ſanctâ exiſtens, ouium ſibi commiſſarum ſollicitudinem non depoſuit, neque concredi ſibi ouilis vllatenus oblitus fuit; diuerſas enim ſanctas Reliquias ſibi diuerſis in locis comparare fatagens, illas poſtmodum ad Diœceſim ſuam & Eccleſiam S. Mauritij à ſe ſecundariò dotatam tranſmiſit, vti habetur in ſœpius mentionato libro-rubro Collegij Mauritianj, fol. 24. pag. 1. Nota ſub lit. E. Othmari Abbatis 16. Nouemb. Hoc die eſt aduentus ſanctarum Reliquiarum quas dedit Episcopus ERPHO S. Mauritio, vt in antiquiſſimo Eccleſia noſtra Martyrologio ſignatum eſt, quarum feſtum peragetur Dominica circa Margarethæ. 2. prout etiam ab illo tempore in hodiernum vſque diem feſtum iſtud ſanctarum Reliquiarum Dominica poſt Feſtum S. Margarethæ in Eccleſia S. Mauritij ſingulis Annis celebratum exitit, ac celebratur.

## NOTÆ

### AD CAPVT VNDECIMVM.

1. Ach vtinam tot Sanctorum, & eximia pietatis ac fidei Antitiſtium, Illuſtrium Principum, Nobilium, fortiorumq; Virorum exemplo, commoniti Chriſtiani Reges & Principes compositis tandem aliquando inter ſe mutuis diſidijs, pro Terrâ ſanctâ, Chriſti incunabulis, & ſepulchro ſacro, cæteriſq; locis, Dei memoriæ conſecratis recuperandis, tam fortiter laborarent, tam ſtrenuè bellarent, tam denique vigilanter & viriliter omnia agerent, memores dicti S. ERPHONIS, quod ſolum placeant omnipotenti, qui miſericordiæ ſunt dediti, nec inuident alienæ felicitati, quam vt ſe inuicem opprimant ac peſſudent, mutuiſq; concidant cladibus ſtrenuè, ſed proſectò inglorioſè laborant. Quæ enim (vt verbis vtar Senecæ, quem amo) nos dementia exagitat, & in mutuam impellit exitium? Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus ſcribimus, directuros aciem in mutuam noſtram pernitiem? Quid maria inquietamus, in propria conuerſi viſcera? Cur non coniunctis & reconciliatis animis, communem hoſtem, Terræ ſanctæ detentorem, glorioſè & animoſè aggredimur? Quod vt fiat Deum Omnipotentem, qui corda Regum & Principum in manu ſua habet, ex animo humillimè rogo, ac in deſtinenter ſupplico.

2. De Reliquijs S. Mauritio eiufq; Eccleſiæ à S. ERPHONE tranſmiſſis & donatis, in

libro rubro insignis Collegij Mauritanii fol. 26. sequentia inueniuntur, Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, die B. Remigij fuerunt nouiter dedicati Chorus & Capella eius contigua, ac duo in eisdem noua Altaria. Sequuntur nomina Sanctarum Reliquiarum, quae fuerunt in Veteri Altari Chori sub magno Sigillo S. ERPHONIS Episcopi posita, ac denud in nouo tunc Altari sub eodem Sigillo, in scrinio plumbeo per loci tunc Suffraganeum, Episcopum iterum reposita

Reliquia S. Ioannis Baptista.

S. Nicolai Confessoris.

S. Pufiana Virginis.

S. Barnaba Apostoli.

De corpore S. Bertholdi Confessoris.

SS. Martyrum Abdon & Sennes.

S. Bartholomaei Apostoli.

S. Martini Confessoris.

De brachio S. Quirini Martyris.

De corpore S. Ronuldi Martyris.

S. Andreae Apostoli.

S. Ceciliae Virginis & Martyris.

S. Seueri Confessoris.

S. Eugenij Martyris.

De corpore S. Georgij Martyris.

De corpore S. Loeberti Martyris.

S. Panthaleonis Martyris.

S. Delebrici Confessoris.

S. Gangulphi Martyris.

S. Blasij Martyris.

S. Margaretha Virginis.

De veste & corpore S. Diciani Confessoris.

Vexillum S. Mauritij Martyris.

De Corpore S. Mauritij & Innocentum.

Os S. Foillani pretiosi Martyris, & Reliquia de Pera eius.

S. Felicitatis & septem filiorum eius.

De corpore S. Simeonis Confessoris.

De Sanctarum Reliquiarum veneratione, quam Aetholici omnino abijciunt, imò irrident, pauca adscribere & notare debuit Venerari itaq; non solum licite, sed etiam fructuose SS. Reliquias, tum ex Codice Sacro diuersis in locis, tum ex SS. PP. tam Graecis, quam Latinis patet.

Nonne tulit Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israël, dicens, visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum? Exod. 13. 19. Nonne proiectum cadauer in sepulchrum

Elisai,

Elisei, reuixit & stetit super pedes suos? 4 Reg. 13. 21. Nonne in primordijs Sancta Christianitatis eijciebant infirmos in plateas, vt vel ymbra prætereuntis Petri obumbrarentur? Act. 5. 14. Nunquid non virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinētia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur? Act. 19. 11. Præterea à temporibus Apostolorum ad nostra vsque sacras Reliquias veneratas esse, ac venerari posse & debere, plurima Sanctorum Patrum habent & euincunt testimonia. Prodeat imprimis Ecclesia Smyrnenensis, quæ post Christum natum Anno 176. ad Ponti Ecclesias sic scripsit. Nos Diui Polycarpi ossa, potiora lapillis pretiosis auroq; puriora ex cineribus sublata, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusq;. In Concilio Gangrensi, à Ciuitate Gangri, quæ est Baphlagonie, nuncupato, & Anno Domini 319. celebrato Can. 25. piè cautum est, Reliquias Sanctorum non debere poni in Ecclesijs, vbi non sunt Clerici, qui Sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

Magnes qui vixit Anno 350. contra Theostonem lib. 4. sic ait. Ossa Prophetarum, non sunt Ossa mortuorum, quia Deus non est, nisi viuorum. Manifestum itaq; est, quod Ossa Sanctorum non sunt mortua, sed potius plena virtute; si enim simbria, propter illum qui ferebat eam, credenti dedit virtutem sanitatis, & solo tactu curationem fecit, quomodo non dicamus Sanctos, simbria in animis honoratiorēs, non posse ijs, qui sine vllâ dubitatione credunt, tribuere meliora, quibus Christus, dum in corpore viuebat, tanquam veste induebatur & post mortem, tanquam purpuram, honorem dignitatis Regalis effecit?

S. Basilius, qui vixit seculo post Christum natum quarto, Anno enim Domini 378. mortuus est, in orat. de 40. Martyribus, loquens de Reliquijs ipsorum, per totam Regionem dispersis: Hi sunt, inquit, qui nostram obtinentes regionem, quasi turres quedam contra aduersariorum incursum, refugium exhibent, nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio excepti, multorum patrias ornauerunt.

S. Gregorius Nyssenus, Germanus S. Basilij frater, in orat. de S. Theodoro Martyre ait, Anima quidem ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, & corpore soluta cum sui similibus viuit, corpus verò venerandum & immaculatum illius instrumentum, cum multo honore & cultu compositum atque ornatum, in augusto sacroq; situm est, quod veluti res cara magniq; estimata, atque recondita, ad tempus regenerationis asseruatur, &c.

S. Ioannes Chrysostomus, qui vixit eodem post natiuitatem Christi seculo quarto, migravit enim ad Dominum An. 407. laudatione in S. Martyrē Ignatium, Apostolorum discipulum (qui An. Christi 71. post Euodij Martyriū, solus in Antiochenā sedit Ecclesiā, & fuisse asseritur puer ille, quem Christus produxit ad commendandā simplicitatem, quiq; Anno 109. Romæ dentibus leonum Martyrium in Theatro consecutus est) Catholicè & Christianè inquit. Itaq; non hodie tantum, sed quotidie, ad ipsum confluimus, spirituales ex eo fructus percipientes; quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficijs: Sanctorū enim non modo corpora, sed &

sed & ipsa loca & monumenta spirituali gratia conferta sunt. Nam si Eliseo id contigit, vt defunctus sepulchrum eius attingens, mortis vincula dissoluerit, & ad vitam rursus redierit, multo magis id fiet hoc tempore, quo gratia fuit vberior, quo Spiritus maior est vis, vt si cum fide arcam aliquis attingat, magnam inde virtutem hauriat. Et eam ob causam reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, vt nos ad se eorum imitatione perducatur, vt sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quae assidue nos affligunt.

Idem S. Ioannes Chrysostomus de SS. Iuuentio & Maximo, inquit, ideo saepius eos inuisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. Idem in lib. contra gentil. de reliquijs S. Babile Martyris. Sententia, dicit, nostra abunde fidem faciunt, quae quotidiana à Martyribus eduntur miracula, vbi & ait, quod Deus nihil ferè vtilius nobis reliquit ad salutem, Sanctorum Reliquijs; nihil enim efficacius repraesentat & insigit in animo memoriam Sanctorum, quam sepulchrum ipsorum, statim enim atque videmus sepulchrum Sancti alicuius, recordamur illius & virtutum eius, patientiae, caritatis, castitatis, pietatis, & simul cogitamus quantam gloriam fruatur in caelis, pro labore breuissimo huius vitae, &c.

S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, qui vixit similiter seculo 4. Catechesi 18. Vt autem, inquit, non solum anima Sanctorum honoretur, credaturque, quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, iacens in sepulchro Helisei, mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens, viuificatus est.

S. Gregorius Nazianzen. qui Anno Christi 389. migravit ad caelum, orat: in S. Cyprianum, omnia potest, inquit, pulvis Cypriani, cum fide, vt sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos vsque transmiserunt. Concilium Nicenum 2. Anno 787. celebratum act. 3. vocat reliquias, fontes salutare, quibus Deus multa beneficia hominibus praestat.

Eodem plane modo de sacrarum reliquiarum veneratione loquuntur & sentiunt, Ioannes Cassianus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Andreas Casariensis, Procopius, Eua-  
grius, Nicephorus Callistus lib. 2 cap. 41. & multi alij, è quorum numero Hieremias Constantinopolitanus, Respon. 2. cap. de inuocat. Sanctorum, SS Patrum Graecorum, & Catholicam hac de re sententiam subsumens & astruens, concludit, & ait, ex Sanctorum Sanctis Reliquijs multifariam beneficia scaturire, nemo dubitare debet; si enim è præduro saxo aqua in solitudine effluxit, si ex asini mandibula Samsoni sitienti aqua erupit, è Martyrum reliquijs idem fieri incredibile sit? Nullo modo, ijs quidem, quibus notum est, quid Sancti possint apud Deum, & quantus eorum sit honor.

Negant quidem, & omnem Sanctis Reliquijs honorem denegandum esse docuerunt & docent Vigilantius Gallus, Lutherus, Calvinus & omnes Aetholici. Sed Vigilantij detestandis calumnijs horrendisq; blasphemijs respondit S. Hieronymus Epist. 53. ad Ripuarium, dum ait, O infelicem hominem, Vigilantium inquam, & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hac dicens, non intelligat, se esse Samaritanum & Iudaeum, qui corpora mortuorum pro immundis

immundis habent, & etiam vasa, quæ in eadem domo fuerint, pollui sufficiantur, sequentes occidentem literam, & non viuificantem spiritum. Nos autem non dico Martyrum Reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angeles, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, & in presenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius, quam creatori; Honoramus autem Reliquias Sanctorum Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres adoremus; Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos suscipit, me suscipit. Si non honorande sunt Reliquie Martyrum, quomodo legimus, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, Esalm. 115? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elifaus mortuus, mortuum suscitauit, quod secundum Vigilantium iacebat immundum: Dolet, vltterius inquit, Vigilantius Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinum, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Acatholicis & sectarijs ante Caluinium existentibus, & ita per consequens ipsi Caluino, illos pertinaciter secuto, tunc tamen nondum nato, neque in rerum naturâ existenti, respondit S. Isidorus Pelusiota, qui floruit Anno Christi 440. dum lib. 1. Epistol. 55. ad quendam Caluino similem, à viâ veritatis aberrantem sic scripsit. Si te offendit, quod Martyrum corporum cinerem propter eorum erga Deum charitatem atque constantiam honore afficiamus, eos, qui ab ipsis medicinas accipiunt, interroga, atque quot morbis remedium afferant intellige, sic fiet, vt non modo id, quod à nobis fit, non irrideas, sed etiam quod rectè & cum laude fit, imiteris.

Verba blasphemie Vigilantij, quantum placuerint Martino Luthero in die Exaltationis S. Crucis, pro suggestu non solum voce, sed etiam postmodum scripto declarauit, his inter alia verbis; Reliquie nihil aliud sunt, quam fraudes & seductiones fidelium; quare omnino infra terram defodiuntur. Sed huiusmodi calumnijs omni ratione & fundamento destitutis, à SS. Patribus supra allegatis, & alijs passim, satis superq; responsum est, ideo diutius non inhereo.

Moderatius profectò egit, maioremq; Sanctis Reliquiis reuerentiam habendam censuit Leo Imp. in l. decernimus 26. C. de Episc. & Cleric. dum prohibet SS. Martyrum Reliquias in loca profana inferri, cum enim, inquit, religiose ades non desint, possunt ibi, consultis prius, vt oportet religiosissimis Episcopis, Reliquias Sanctorum Martyrum, non quorundam vsurpatione, sed arbitrio Reuerendissimorum Antistitum collocare. Voluit & statuit gloriosissimus Imperator Sanctas Reliquias in Religiosas edes inferri, indecorum & irreuerenter factum existimans, illas profanis in locis collocare. Si diadema Imperiale in vertice fulsisset Lutheri (quamuis caput eius Imperiali infule omninò ineptum fuisse existimem) nonne impudenter, & absque ratione statuisset, Reliquias nihil esse aliud, quam fraudes & seductiones fidelium? Nonne iussisset illas in terram defodi? quas gloriosissimi & Catholici Imperatores, ne quidem in loco profano asseruari; sed ad Religiosas edes arbitrio Episcoporum deferri voluerunt. Sed qui sapientiam Sanctorum non habens, in carne & sanguine volutabatur, pretiosam esse in conspectu Domini mortem Sanctorum eius non intellexit, atque ided illum



ram inconsideratè, immodestè, & indiscretè de Reliquijs Sanctorum locutum esse, nemo mirari debet.

Assertam & stabilitam de Venerandis Sanctorum Reliquijs veritatem, vltèrius videre & legere cupientem, ad Bellarm. Cardinal. tract. de Sanctor. beatitud. & Sanctorum Reliq. nec non Turanum Vekiti Iuris Vtriusq. Doctorem, qui principales fidei nostræ controuersias, doctè & fundamentaliter idioma Belgico pertractauit, in memoriali suo Catholico, lib. 3. cap. 7. per tot. & specialiter art. 7. breuitatis ergo remittere debeo.

## CAPVT DVODECIMVM.

### De reditu S. ERPHONIS è Terrâ Sanctâ ad Episcopatum suum Mimigardefordensem, nunc Monasteriensem, & de Sigillo ipsius,

**D**E S. nostri reditu aliquid superiori capite attigimus, quibus addere debui-  
mus, quæ de eius itinere & reditu refert Crantz. in Metropol. lib. 5. cap. 29. ni-  
mirum sequentia, Erat hic Pontifex nepos sui Prædecessoris Friderici, quem ex Marchoni-  
bus Misnie ortum ferebant, ordine 17. in hac Ecclesiâ, vnus ex his qui cum Dudone 1. Epi-  
scopo Leodiensi, & Godesfrido Duce Bullionis ad exhortationem Urbani Papæ Secundi, cum  
magnâ expeditione populi Christiani mare transierunt, & Anthiochiam cum Ciuitate Hie-  
rosolymâ receperunt. Reuersus est hic Pontifex voti compos factus, & Ecclesiam suam  
multis post Annis feliciter gubernauit, bonoq. sine consummatus, bonus Christi miles,  
Pastorq. plebis emigravit, 2. Sepultus apud S. Mauritium extra muros. In huius Si-  
gillo quod hodie adhuc exstat scriptum cernitur, ERPHO EPISCOPVS MIMIGAR-  
DEFORDENSIS, 3.

## NOTÆ

### AD CAPVT DVODECIMVM.

1. De Dodone, Dudone aut Odone Episcopo Leodiensi & manuscripta quadam men-  
tionem faciunt; fuisse autem tum temporis Episcopum Leodiensem appellatum Obertum,  
Henrici Primi 54. Episcopi, qui Anno 1090 hic Monasterij fuit, Successorem, & neq. illum  
Cruciatæ nomen dedisse, aut cum istâ expeditione in Terram Sanctam iuisse, Ægidius aureæ  
Vallis Religios. apud Chapeauville in historiâ Leodiensi cap. 13. & cap. 16. manifestum fa-  
cit, vti curiosus Lector ibidem latius videre poterit.

2. Habet quidem rubeus liber insignis Collegij Mauritanii, Anno 1492. conscri-  
ptus,


ptus, quod S. ERPHO Monasteriensis Praesul, in Terrâ Sanctâ feliciter excesserit, ac cum magnis Reliquijs, quas S. Mauritio donavit, delatus sit, ad illam Ecclesiam & Canonicam congregationem, quam secum Fridericus Marcho cognatus suus dotavit, & sepultus sit, extra Ecclesiam versus Occidentem in Cœmiterio, vbi modo Sacellum in eius honorem erectum & Ecclesia annexum est, supra tumulum, modo magnificè de Anno 1492. sculptum. Ego autem illud, quod de obitu eius in Terrâ Sanctâ ibidem asseritur, valdè incertum, imò contrarium magis verum esse statuo, tum quod idem liber fol. 24. pag. 1. sub Lit. E. habeat sequentia; Othmari Abbatis 16. Nouembr. Hoc die est Aduentus Sanctarum Reliquiarum, quas dedit Episcopus ERPHO S. Mauritio, vti in antiquissimo Ecclesiae nostrae Martyrologio signatum est, quorum Festum peragetur Dominica circa Margarethe. Quod si itaq; eodem die, & tempore Corpus S. ERPHONIS allatum foret, illud etiam in antiquissimo illo Martyrologio absque dubio notatum fuisset, de quo tamen describens nullam facit mentionem, tum quod quoad Annum, & alia nonnulla error in illud manuscriptum irrepserit, vti alibi probatum est, ac ita facillimè in alijs idem contingere potuerit, tum quod si communi Historicorum sententia inherendo, statuere velimus, expeditionem in Terram Sanctam Anno 1096. contigisse, & Anno 1097. in eiusdem principio, vti manuscripta & impressa quaedam habent, Theodoricum à VVintzenburgh S. ERPHONI successisse, obitus eius contingere debuerit, antequam Christianus exercitus Terram Sanctam intravit, ille enim in Martio Anno 1067. Hellepontum transiit, vti habet VVilhelmus Tyrensis, quo casu verum esse non potest, quod in Terrâ Sanctâ S. ERPHO mortuus sit, tum denique quod hic error libri rubei inde provenire potuerit, quod Sanctus noster forte ea in re, cum Otthone Monasteriensi Episcopo è Benthemensi stirpe, confundatur, hunc enim itidem Terræ Sanctæ peregrinum fuisse, ac ibidem decessisse ex historijs notum est.

Hæc & inferius notata, sunt quæ me mouent, vt sententiæ Crantzij hac in parte adhaeream, alijs quid de hac re sentire velint, liberum relinquens. Quod autem asseritur S. ERPHONEM primo in Cœmiterio sepultum, & postmodum Sacellum in honorem eius, tumulo superimpositum esse, id ob frequentia, quæ ibi contigerunt miracula, & inde subsequetas frequentes & votiuas oblationes, factum existimo.

3. Crantzium secutus esse videtur Petr. Merseus Cratepol. Minorita, apud quem in Catalogo Episcoporum Monasteriensium de S. nostro sequentia habentur. ERPHO superioris, Friderici inquam, nepos, sanguine Magnopolensium, Vir Nobilis & sincerus, inde creatus est Episcopus. Profectus hic cum alijs multis Germaniæ Episcopis ac Principibus, exhortatione Urbani Secundi, cum Godefrido Duce Builionis ingenti expeditione in Palestinam, vbi Antiochiâ, & Hierosolymâ ac alijs locis potiti sunt. Inde reversus feliciter Ecclesiam suam multis Annis optimè vexit, bonum ac fidelem Christi militem ac Pastorem

se declarans, qui bono fine hinc migravit Anno Domini 1099. à morte ad S. Mauritium sepultus est. Quod autem asserit S. ERPHONEM Anno 1099. bono fine hinc migrasse, in eo quoad Annum erratum est: illo enim Anno in Iulio, capta est Hierosolyma, quâ demum captâ reuersum esse, ipse auctor astruit. Itaq; non potuit redux multis Annis Ecclesiam suam optimè rexisse, si illo Anno mortuus est; tenenda erit igitur sententia, quam hoc capite, & alibi stabiluimus.

4. Hæc Sigilli inscriptio, distat ab eâ, quam in ipsis Originalibus circumscriptam vidi & legi; Est autem talis,



Ipsum Sigillum gypso impressum, est Episcopus mitratus, cum reliquo habitu Episcopali, dextrâ pedum, leuâ librum clausum gestans, ac præterea in illo nihil inuenitur.

#### CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De die & Anno obitus S. ERPHONIS eiusque sepulturâ, & que ac qualia miracula post mortem, ad tumulum ipsius contigerint, Item quod à trecentis & ultra Annis Sanctus auctoritate Episcopali habetur, & veneratus fuerit, nec non de deuastatione eius monumenti per Anabaptistas factâ, eiusq; postmodum restauratione.

QVO verò Anno, quamuis de die, nimirum 9. Nouemb. ex suprâ allegatis, iam constet, obitus eius, & emigratio ad Dominum contigerit, ferè nihil certi, Annum speciatim designando, tradi potest. Existimat quidem Dominus Doctor Ioannes Gigas, piæ memoriæ, Vir Eruditus & inter doctos sui seculi minimè postremus, in Catalogo, quem edidit, Episcoporum Monasteriensium, Theo-

Theodoricum à Wintzenburgh S. nostri Successorem præesse cœpisse circa Annum 1097. Prout etiam vetusti quidam manuscripti Codices habent, cladem & incendium totius Ciuitatis Monasteriensis sub Theodorico à Wintzenburgh contigisse Anno 1097. crastinâ Ioannis ante Portam Latinam quæ est 7. Maij. Sed & hæc omnia non minus, quam Annus obitus Præfulis nostri incerta sunt. In primis enim minimè verum foret, S. ERPHONEM voti compotem factum, reuersum esse, ac Ecclesiam suam multis post Annis fœliciter gubernasse, vt asserit non contemnendæ auctoritatis Crantzius, si Anno 1096. aut in principio Anni 1097. obiisset; præsertim si, vt communis Historicorum habet opinio, expeditio hæc in Annum 1096. inciderit, tunc enim etiam primo expeditionis Anno, imò in ipso arrepti itineris principio, vitam cum morte commutasset. Deinde Theodorico à Wintzenburgh Burchardum in Monasteriensi Sede anteponebat Abbas Urspergensis, dictumque Theodoricum nominat Henricum, ad Annum Domini 1121. vbi hæc habet formalia. Anno 1121 Dominus Henricus, qui Burchardo Rufo dudum in Legatione Henrici Imperatoris, apud Constantinopolim defuncto, per electionem Ecclesiasticam, in Cathedram Monasteriensem successerat, à suis indignè tractatus, querimoniam iniuriarum suarum Saxonice Principibus detulit, & quia Vir Illustris natus, & virtutibus famosus existit, per Lotharium Saxonie Ducem, postea Romanorum Imperatorem, congregato exercitu Sedem suam etiam contra Regis voluntatem repetijt. Quo etiam Anno cladem Monasteriensem totiusque Ciuitatis incendium contigisse commemorat, sequentibus verbis. Contigit autem occulto Dei iudicio, dum inimicas acies videndo ciues terrentur, ac pro imminente periculo singuli sua molirentur, casas aliquas incautè succendi, paulatimque dominante flammâ, etiam Basilicam maiorem, quæ Sedes illius erat Ecclesiæ, funditus comburi. E quibus manifestum euadit, quam incertum sit, velle asserere, mortem S. nostri circa Annum Domini 1096. aut 1097. contigisse, eodemque Anno Theodoricum à Wintzenburgh successisse, quin imò diutiùs illum superfuisse, ac gregi sibi concredito diligenter inuigilasse, ex eo inter cætera manifestum euadit, quod Lotharius Saxonie Dux, postmodum Imperator, huius belli ductor, & cladis Monasteriensis causa, Anno Domini 1106. Magno Saxonie Duce, absque prole masculâ mortuo, dono & beneficio Henrici Quinti Imperatoris Saxonie Ducatum adeptus, primum surrexit, vt habent Ursperg. & Crantz. vnde cladem hanc Monasteriensem ante Annũ 1107. contigisse, dicere non ausim. Et si Theodoricus S. ERPHONIS immediatus Successor fuit, vt habet Catalogus Episcoporum Monasteriensium, & manuscripta ferè omnia, ac alibi etiam à nobis probatum fuit, (reiecto nimirum intruso Burchardo Rufo) non leui coniecturâ ductus assererem, obitum eius circa Annũ Domini 1106. aut paucis annis ante, nimirum post Annum 1104. vel circiter contigisse. 1.

Sed quidquid de eo sit, illud omnino certum & indubitatum est, S. ERPHONEM

NEM ad S. Mauritium Sacello postmodum turri maiori aut Occidentali, & ipsi Ecclesiae quasi in- aut adæficato, sepulchroque eius superinstructo, ac in honorem eius consecrato, sepultum esse, ubi etiam eius monumentum fuitore Anabaptistico, superiori seculo, dirutum quidem & contractum, sed pietate & sumptibus Domini Iodoci à Werne Scholastici eiusdem Ecclesiae, restauratum in hodiernum usque diem cernitur, cuius inscriptio in latere Aquilonari est talis.

*Reuerendus ac Nobilis D. Iodocus à Werne huius Ecclesiae ad Annos 23. Scholasticus, sepulchrum hoc, olim magnificè exsculptum, sed per diram Anabaptistarum rabiem, antehac dirutum & contractum.*

In latere verò Meridionali sequentia inueniuntur,

*In honorem Omnipotentis Dei & SERPHONIS, Megapolitanae familiae Comitis, Praesulis Monasteriensis xvii. ac secundi huius Ecclesiae Fundatoris, cuius sacrum corpus hic requiescit, de nouo erexit, & honorificentius poni curauit, Anno Domini M. D. C. XX.*

Porro contigit monumenti huius violatio, uti & totius Ecclesiae Sancti Mauritij direptio à scditiosis quibusdam ciuibus Monasteriensibus, insanà Anabaptistarum rabie, supra quam credibile est, furentibus; quam insaniam (neque enim aliter nominare possum) manuscriptus quidam Codex refert sequentibus verbis.

Anno 1533. die tercia Ianuarij Hermannum à Mengersen, è Telgetanà irruptione, quae precedenti Anno contigerat, captiuum, emittunt ad Episcopum Principem, ut agat pro sua auctoritate de faciendo compromisso, ne captiuus ac Clero, à furiosà plebe mali quid inferatur, qui pacis amator paratus imponitur curui Senatus, eà lege, ut ad 7. Ianuarij redeat, nam ulterius populum coërceri non posse, sicq; Beuergernam auehitur. Interea fame incipiente, varij incipiunt motus in vrbe, spargebatur Principem aliquot millia militum collocaturum ad S. Mauritium, illaq; aedificia pro munitioibus habiturum. Ideo petunt 4. Ianuarij à Senatu, ut sibi facultas concedatur, illud temptum cum aedificijs destruendi, ad quae Senatus nemini suum auferendum, neque suo in iure turbandum, & belli occasionem esse fugiendam, illis vehementer instantibus ad vitanda pericula concedunt, tantum illa diruenda, quae prospectum prohibeant, uti arbores & sepes, verum à Templo se temperent, usque ad reditum Mengersen.

Illi ergo 5. Ian. hor. à tercia nocte sonante tubà, ut precedenti die edocti fuerant, die Domini- cā ad forum conueniunt, cum securibus & malleis, lignonibus & bombardis, hastis, venabulis, bipennibus, &c. nec equites nec currus, deerant & ad S. Mauritium (relictis tamen capitibus seditionis ad vexandum senatum & Clerum in Vrbe) pergunt, & porticum templumq; ingressi omnia diripiunt, ornamenta, Imagines, Altaria, Organum ac monumenta quaeuis frangunt.

frangunt. Dum his sunt intenti fama venit Episcopi milites aduentare, hinc timidi effecti segnius pergunt. Interea scribit Mengersen se à Principe omnia, quæ ad Pacem pertinerent, impetrasse, Quo audito Senatus maximâ latitiâ affectus reuocat omnes à demolitione Mauritianâ, omnia enim iam esse salua, sic reuertuntur, & Templum ac alia adificia incombusta, Dei beneficio, permanebant.

Quemadmodum igitur Templum aliaque adificia interueniente famâ de aduentante Episcopi milite, & allato nuntio, omnia ad pacem spectantia, impetrata esse, ab igne & extremâ ruinâ singulariter, Dei prouidentiâ, ne nimirum Sanctorum virorum pia fundatio penitus interiret, conseruata fuere, ita etiam sacrilegæ & sceleratæ manus, in Sancti huius monumentum in tantum sæuire non potuerunt, vt eius memoriam penitus tollerent: remansit enim circa verticem pars lapidis antiqui in sacro eius sepulchro, cui nouum hoc monumentum superinstructum est, in quo antiquissimis literis ad caput Sancti nostri sculptum inuenitur. SANCTVS ERPHO. Ex quo euidens & manifestum euadit, iam ab aliquot seculis Sancti nostri memoriam in Ecclesiâ Dei viguisse.

Neque refert, quod ad pedes sepulchri in lapide sculptum inueniatur, Anno Domini 1550. vnde non extra rationem inferri posset, post sepulchri ab Anabaptistis factam violationem, alterius lapidis impositionem contigisse; diuersitas namque scripturæ, & characteris, eiusque sculpturæ, ad oculum euincit & manifestum facit sculpturam in capite lapidis, ab alterâ esse planè diuersam & antiquiorem. Hinc suspicor ab Anabaptisticâ sepulchri & monumenti violatione priorem lapidis partem, cui etiam tum temporis, S. ERPHO, insculptum fuerit remansisse; postmodum verò huic lapidis parti aliam coniunctam, & sepulchro impositam esse, cui illo, & quidem posteriori Anno, diuerso tamè caractere incisum sit, Anno 1550. Prout & oculus ipse demonstrat, lapidem inferiorem sepulchro contiguum, esse in medietate sui, non continuum, sed coniunctum.

Quod autem S. ERPHO, non solum ab ipso obitu tempore, aut breui post, quam primum miraculis coruscare cœperit, atque istâ sanctitatis famâ ita inclaruerit, vt necessariò Sacellum tumulo eius superimponi debuerit, vt superioris à nobis notatum est, sed etiam ante aliquot secula pro Sancto in Ecclesiâ & Diocesi Monasteriensi publicè habitus & cultus fuerit, inde euidentissimè apparet, quod non solum ante tria secula Sacellum ipsum, sed & Anno 1347. adiunctis aliis Sanctis, Altare in honorem eius, in ipso eodem Sacello erectum & consecratum sit, 2. prout etiam antiquitus ad eius Altare oblationes multas, & vota fidelium facta fuisse antiqua insignis Mauritiani Collegij scripta apertè testantur. 3.

Quibus & illud adiungere debui, quod Anno 1620. quando sepulchrum huius Sancti apertum fuit, gratissimus odor exinde ascendens, astantes omnes mirum

mirum in modum recreârit, ac in summam admirationem pertraxerit, prout etiam Anno eodem, quando nempe gratissimus sui corporis odor è monumento ad omnes, imprimis verò Parochianos Mauritanos ascendit, sensusque fuit, Nobilis quidam Vicinus Parochianus membrorum suorum torporem & contractionem, paralyfin inquam, præsentiens, ac iam inde grauissimè laborans, factâ ad monumentum Sancti peragenda votiua oblatione, per eiusdem intercessionem & merita apud Deum, extemplo planè liberatus, ac huc vsque conseruatus fuit, cuius ille viuum adhuc dare testimonium non erubescit. 4.

Insuper, & illud euidentissimum sanctitatis ac beatitudinis in S. nostro signum & inditium est, quod ab aliquot retro seculis Sacellum & sepulchrum eius, vsu cereorum & lampadum honoratum fuerit, & adhuc honoretur quotidie, huiusmodi enim externis signis, honorari & demonstrari Reliquias Sanctorum, tradit Cardinal. Bellarmin. de Reliq. Sanct. cap. 3. §. Nono probatur. Inueniuntur autem eâ de re in libro Collegij Mauritanici rubeo, fol. 425. sub tit. de Officio Custodis. sequentia. *Præterea ex primâ fundatione Ecclesie nostræ, Thesaurarius pro tempore de bonis eiusdem Thesaurarie, administrabit perpetua lumina de Sebo, vnum in Choro perpetuo sine intermissione noctes & dies ante Venerabile Sacramentum, & item duo vesperi, quæ cum campanarius cubitum iturus Ecclesiam ipsam circumcluserit, incendat, & per noctem tantum cremabunt, vnum scilicet in porticu ante Capellam S. Blasij, alterum ad ERPHONIS Sepulchrum & Capellam, quod modo in turri reponitur ardens. Olim Lampas erat in medio Capelle suspensa. Vti & nunc. Quod per Testamentum Admodam Reuerendi & Nobilis Domini Alberti Bischopinck Canonici ad S. Mauritium innotatum esse videtur, dedit enim in eum tantummodo finem centum Imperiales, vigore testamentariae suæ clausulæ, quæ est hæc.*

*Item pro ardenti Lampade, seu perpetuo lumine ibidem in Sacello S. ERPHONIS Episcopi conseruando, donat Ecclesie Mauritanæ centum Daleros Imperiales.*

Neque refert, quod S. noster solenniter canonizatus, vt inquit, aut per Summum Pontificem, sanctæque Sedis Apostolicæ auctoritatem, ritu solenni in Sanctorum Catalogum inscriptus non inueniatur; quia cum duplex sit Canonizatio, vna particularis, ita vt solum in vnâ Prouinciâ aut Diœcesi quis habeatur Sanctus, & colatur pro Sancto: altera generalis, vt in totâ Ecclesiâ habeatur pro Sancto; atque primo modo ante hac canonizare potuerit quilibet Episcopus, Bellarm. in tract. de Sanctor. beatitud. cap. 8. in princip. quod iam ante trecentos & ultra annos in S. nostro contigit, talemque Canonizationem, aut S. alicuius ab Episcopo indictum, imò solummodo permissum, & toleratum cultum Ecclesia & Pontifex ratum habuerit, vt, pater è Diplomate Urbani VIII. Præfationi ad longum inserto; præterea antiquæ Ecclesie traditio aut approbatio æquipollere videatur canonizationi, cum præsens canonizationis forma antiquitus non esset

73  
esset in usu, Bonacin circa 1. decalogi precept. disp. 3. quest. 1. punct. 1. proposit. 2. Vers. Dixi  
postquam, &c. idè de veneratione & cultu illius ulterius dubitare velle, omnino su-  
peruacaneum & impertinens esse existimo.

Hæc sunt quæ de S. ERPHONIS vitâ, gestis, morte, miraculis & monu-  
mento inuenire, ac in vnum conferre potui. Quibus, amice Lector, ad excitân-  
dum piæ deuotionis affectum, erga hunc Sanctum frueri, ac gloriosum Deum,  
qui in Sanctis suis mirabilis est, semper & sine intermissione lauda.

## N O T Æ

### AD CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1. Ut huic meæ opinioni, atque etiam sententiæ Crantzij superius à me commemoratæ  
tenacius inheream, & à libro Mauriciano hac in parte dissentiam, præter iam allegatas, et-  
iam subsequentes me fortius astringunt rationes. Primò, quod Henrico Quarto, alijs Tertio,  
Seniore dicto, in schismate cum Romanâ Ecclesia existente, ille, S. ERPHONE mortuo, præ-  
fecerit Mimigardesfordensi Ecclesiæ Burchardum, Virum excellentem, vti habet Crantzius  
Metropol. lib. 5. cap. 33. debuit autem illud in fine Anni 1104. aut principio 1105. contigisse, tum  
quod ERPHONE mortuo in substitutione alterius Episcopi Henricum Imperatorem moram  
aliquam traxisset existimandum non sit, ne à Sede Apostolicâ præueniretur, & vt numerum  
Præsulum partibus suis adherentium augetet; tum etiam quod vno aut altero Anno citius  
hanc substitutionem aut successorem Burchardi accidisse præsumendum non sit, eo quod  
ante aduentum Richardi Episcopi Albanensis, Cardinalis & Legati Apostolici in Germa-  
niam, Routhardus Archiepiscopus Moguntinus, & Ebehardus Episcopus Constantiensis,  
Paschalis Papæ vices in Germaniâ egerint, vti habet Spondan. ad annum 1105. qui profes-  
sio censuras Ecclesiasticas contra Burchardum emittere, ad notabile temporis spatium non  
distulissent, Ruothardo præsertim ab Henrico Moguntinâ Sede & Diocesi sua expulso; post  
aduentum verò Episcopi Albanensis (qui contigit Anno 1105. in Decembri circa Natalitia  
Christi ad Conuentum Moguntinam totius Germaniæ celeberrimum) Burchardus tanquam  
Henrico anathemizato adherens ab officio per eundem Albanensem Episcopum primum su-  
spensus est, Crantz. Metropol. lib. 5. cap. 33. quod mihi argumento est, illum breui temporis  
spatio antea, & quidem tam exiguo, per Henricum S. ERPHONI surrogatum esse, quod  
priors Apostolica Sedis Legati nimirum Ruothardus & Gebehardus contra eundem censuras  
Canonicas emittere non potuerint, & quod ideo illud à Successore in Legatione Apostolicâ  
suppletum sit. Secundò, in hac meâ opinione supra modum me confirmat Crantz. Metropol.  
lib. 5. cap. 32. in fine & cap. 33. in initio, vbi hæc habet formalia. Sed Humbertus Bremensis  
Archiepiscopus vix expleto triennio vitam finiuit, Anno post 1104. à Christo & eius exortu,  
statim subiungens Mimigardesfordensis, quæ nunc est Monasteriensis Ecclesiæ, passa est per hæc  
tempora, quod multa aliæ de suis Pontificibus, &c. vnde cum illa verba per hæc tempora  
commodius referri non queant, quam ad Annum 1104. immediatè antea nominatum, con-



dudo & statuo S. nostrum Anno 1104. aut paulo post diem obiisse extremum, & Burchardum illi quam primum ab Henrico suspectum, atq; illo Anno 1105. vii & sapius antea, anathematizato, ab Officio suspensum & expulsum esse. Vera est itaq; aut sanè probabilior sententia Crantzij, quæ habet S. nostrum Episcopum vori compotem factum, & multis post Annis Ecclesiam suam feliciter gubernasse, quatuor, nimirum, ad minimū Annis. Quod & confirmat D. Mathæus Tympius SS. Theol. Licentiatus, in manuscripto suo Catalogo Episcoporum Monasteriensium, in quo de S. nostro sequens testimonium posteritati reliquit: Cum Bullionensem Ducem in Saracenos arma mouere audiret, ad eandem alacer militiam aduolauit, expugnatâ Antiochiâ alijsq; locis, & recuperato sepulchro Christi ab exercitu Christiano, expectatus suis, magno rediit cum triumpho. Interim & illud certum est, quod in fine anni 1105. amplius vixisse non potuit, tunc enim Henricus Senior Imperator, quæ Burchardum substituisse constanter asseritur, insignia Imperialia deposuit, & Imperator esse desijt, pauloq; post mortuus est.

Quod autem excidium & bustum ciuitatis Anno 1097. contingere non potuerit; sed anni posterioribus acciderit, sequentia euincunt; Nam Henricus V. alys IV. primum Anno 1105. patri suo contrarius esse, & à partibus Pontificijs stare cepit, ergo ante Annū 1106. Burchardus ab Henrico Seniore nominatus Episcopus, per ministeriales suos eijci, & captiuus ad Imperatorem Henricum iuniorem deduci non potuit. Deinde habet Crantzius, & cum eo manuscriptum quoddam latinum, quod Henricus V. cum partes Pontificis desereret, & non meliora quam pater suus moliretur, cuius initium factum est Anno 1110. sepeditum Burchardum potenter restituerit, quod post Annum 1111. necessariū fieri debuit, eo quod illo Anno Henricus V. Romam Italiam ageret. Burchardus autem postmodum inter Casarem & Saxones exorto bello, cum restitutor in suum non desereret, iterum expulsus, & post demum restitutus fuit; In vltima vero Theodorici restitutione incendium Ciuitatis contigisse inuenitur in manuscripto quodam Latino. Quod si verum foret, etiam aliquot Annis post 1111. accidere debuit. Interea ex supra deductis certum est, quod ante Annum 1106. contingere non potuerit. Et cum similiter certum sit, post motū à Lothario Saxonie Duce, Imperatori Henrico bellum, restitutionem Theodorici (quæ Vrßpergensis & Crantz. nominant Henricum) ac eâ occasione Ciuitatis Monasteriensis incendium aduenisse: presumendū autem non sit, Lotharium Ducem & Saxones, vt pote tum temporis Sedi Apostolicæ fidelissimos, & qui inter omnes Germania populos magno semper animo pro Ecclesiæ Romanæ defensione, Imperatoribus schismaticis illo tempore restiterunt, teste Spondan. ad Annū 1125. nu. 3. ante latam Romanæ Ecclesiæ iudiciū, & promulgatam in Henricū anathematis sententiam, quod secundum Spondan. An. 1112. primo factum est, bellum & arma contra Henricum Coronatum à Paschali II. Imperatorem, mouere voluisse, aut tento vel maxime, quod Luderus ab Italis & G illis nuncupatus Lotharius, Magno Saxonie Duce absq; prole masculâ defuncto dono Henrici V. Imperatoris Saxoniam obtinuerit Crantz. Saxon li. 5. c. 21. vt tanto minus ante iudiciū Ecclesiæ, erga benefactorem suum, illum ingratum esse voluisse credendum sit; Ideo consequenter dicendum erit, post Annū 1112. ciuitati nostræ cladem illam & incendium illatum esse, quin imò Luderum aut Lotharium, & Saxones ab Henrico

Impera-

*Imperatore primum casus, & illos 1115. demum ab Imperatorio exercitu primam reportasse victoriam, multoq; post, nimirum Anno 1121. restitutionem Episcopi, eiusq; occasione incendi-um Ciuitatis contigisse, exactè tradit, Cram 2 lib 5. Saxon. cap. 34. 36. & 41.*

2. *Vri sequens Foundationis tenor manifestum facit.*

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen. Nos Decanus & Capitulum Ecclesiæ S. Mauritij extra muros Monasterienses, ad notitiam vniuersorum Christi fidelium cupimus peruenire, quod discreti Viri Godefridus dictus Prius Sacerdos & Bruno de Calmere Ciuis Ciuitatis Monasteriensis coram nobis in loco Capitulari nostræ Ecclesiæ constituti, proponebant, quod Beneficium Diaconatus nostræ Ecclesiæ, quod prædictus Godefridus actu possidebat & possidet, certis redditibus & quadam certâ summâ pecuniæ, videlicet ipse Godefridus duarum marcarum redditibus, & Bruno prædictus quinquaginta duabus marcis Monasteriensibus denariorum bonorum legalium, in modum qui subsequitur, ad honorem & gloriam Omnipotentis Dei, & in remissionem suorum peccatorum parentumque suorum, & omnium fidelium viuorum & defunctorum, vt tanto amplius diuinus cultus augeatur, & Sacerdos in dicto beneficio militans, eo perfectius possit Deo famulari, desiderarent augmentare, ita quod in ipsâ nostrâ Ecclesiâ, in loco ad hoc habili Altare nouum erigatur, & in honorem B. Bartholomæi Apostoli & SS Trium Regum, & B. ERPHONIS Episcopi consecratur, quod Altare prædictus Godefridus, & quilibet eius Successor, qui pro tempore dictum Beneficium Diaconatus, in nostrâ Ecclesiâ possederit, debitâ Officiatione custodiat, in hunc modum, quod in ipso omni & qualibet septimanâ, tres Missas, vnâ videlicet de Corpore Christi, aliam de Bea. â Dei Genitrice MARIA, tertiam pro defunctis in perpetuû legat; humiliter & instanter supplicantes, vt eorum pio affectui voluntatem nostram, & consensum dignemur adhibere. Nos itaq; Decanus & Capitulum Ecclesiæ supradictæ ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, hunc pium affectum & opus laudabile, inuocato Dei nomine, vt ad effectum perducatur, promouere cupientes, consensum nostrum adhibuimus & præsentibus adhibemus, vt ipsum Beneficiû Diaconatus in nostrâ Ecclesiâ, modo & forma superius expressis, per Godefridum & Brunonem prædictos, redditibus & pecuniâ supradictis ac erectione noui Altaris, ac onere missarum in diuini cultus ampliationem, augmentetur, & præsentibus augmentamus; saluo quod Nos Decanus & Capitulum Ecclesiæ sæpeditæ, & nostri Successores, qui pro tempore fuerint, de prædicto Beneficio Diaconatus cum omni integritate & augmentatione, Sacerdoti idoneo vel personæ idoneæ, quæ infra Annum possit ad ordinem Sacerdotij promoueri, ad quem si infra Annum promotus non fuerit, priuari debet eodem, possimus, prout fecimus, provide-re, & idem cui prouidetur, de ipso Beneficio dum vacabit, debeat pro vt ipse Go-

defridus nunc tenet, in obedientiâ Decani existere, & Altari, Choro, & legendis Euangelis, modo & formâ debitis deservire, tres Missas, vt præmissum est, legere, & Choralis esse, prout consuetudo Canonicorum & Vicariorum in nostrâ Ecclesiâ postulat & requirit. In cuius rei testimonium, fidem, & robur perpetuum, Sigillum nostræ Ecclesiæ, vna cum Sigillo Prius Sacerdotis & Brunonis de Calmere prædictorum præsentibus est appensum: & Nos Godefridus & Bruno sæpediti, quia præmissa ad petitionem nostram, in omni modo ac formâ, vt præmittitur acta sunt, & ea volumus, quod præsentibus promittimus, inuoluntate obseruare, Sigilla nostra, vna cum Sigillo S. Mauritij prædicti, præsentibus apposuimus, in testimonium & veritatem omnium præmissorum. Datum & Actum in Ecclesia S. Mauritij prædictâ, præsentibus discretis Viris Domino Euerhardo de Warendorp, Domino Euerhardo de Enninger, Euerhardo Subdiacono prædictæ Ecclesiæ Sancti Mauritij, Ioanne Buck, Ioanne Schenckinck & Hermanno Bruman, Anno Domini 1347. feriâ sextâ proxima post Festum Philippi & Iacobi Beatorum Apostolorum, adiecto etiam, quod quiuis Rector prædicti Altaris, qui pro tempore fuerit, oblationes ad ipsum Altare denenientes, ad truncum, in quo oblationes Ecclesiæ nostræ deponuntur, fideliter assignabit, Actum Anno & die, sub Testimonio vt supra.

Folio autem 503. in sæpius allegato libro Mauritiano de hoc sequentia habentur. Beneficium Diaconatus in Ecclesiâ nostrâ à primâ origine suâ simplex erat Officium, institutum more Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis, vt Leuita esset, qui legeret quotidie Euangelium in Choro, tam in Missis animarum, quam Conuentualium iuxta Ecclesiæ ordinationem. Sed Anno Domini 1347. erectum est Altare in Sacello Diui ERPHONIS Episcopi Fundatoris Collegij nostri Secundi, & consecratum in honorem Beati Bartholomæi Apostoli, SS. Trium Regum & ERPHONIS prædicti, certisq; redditibus dotatum, ac de consensu Decani & Capituli huic Officio Diaconatus perpetuo vnitum, vt super hoc in literis foundationis eiusdem.

3. Folio nimirum, libri rubri 505. pag. 2. ibi, præterea oblationes ad dictum Altare prouenientes fideliter assignabit Hebdomadarijs seu Capellanis nostris, dum intra celebrationem Missæ sue oblate fuerint, alioquin quidquid Beato ERPHONI in ære, seu denarijs, cera, lino, luminibus, alijsq; rebus offertur, fideliter sub iuramento suo fidelitatis presentabit illi ex Dominicis nostris, cui prædictum sepulchrum fuerit commissum, Denarios tamen votiuales, qui Vicarijs nostris in manibus ante accessum Altaris, aut etiam celebrantibus offeruntur, suis vsibus possunt retinere & applicare.

4. Testimonium hoc vniuersum, publico Notarij documento comprehensum, pro maiori rei gestæ fide adiungo. E quo, quomodo, quo Anno, quâ occasione & quibuscum circumstantiis res contigerit, & ex exemplo, exemplo planè stupendo, completa sit, atque miraculo isto attributum viuis, Nobilis ille Dominus vsque in hodiernum diem sanus conseruatus existat, & per Dei

*Dei gratiam maneat, beneuolus Lector ad longum videre poterit.*

Est autem tenoris subsequens.

**I**N nomine Domini Amen. Tenore presentis publici Instrumenti, cunctis id ipsum visuris, lecturis, seu legi auditoris innotescat, & euidenter sit notum, quod Anno à Natiuitate Domini nostri IESV Christi, supra millesimum sexcentissimum quadragesimo octauo, Indictione primâ Calendis Nouembris Dominicâ die, horis pomeridianis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri D. INNOCENTII Diuinâ Prouidentiâ Papæ, illius Nominis decimi, Anno eiusdem Quinto, Augustissimi Domini FERDINANDI Tertij Imperatoris Anno vndecimo, Serenissimi Principis Electoris, & ArchiEpiscopi Coloniensis, nec non Episcopi Monasteriensis, &c. Clementissimi Domini nostri Anno trigesimo septimo. Reuerendissimus, Admodum RRdi, Prænobiles, Clarissimi & Eximij Domini, Præpositus, Decanus, cæteri que Capitulares Insignis Collegiatae Ecclesie SS. Mauritij & Thebæorum Martyrum propè & extrâ muros Ciuitatis Monasteriensis, requisierunt me Notarium & Secretarium sui Capiluli iuratum, vt occasione miraculosæ cuiusdam sanationis, meritis S. ERPHONIS Ecclesie præfatae Fundatoris Secundi, Episcopi Monasteriensis decimi septimi, octo supra viginti plus minus Annis Prænobili & Strenuo Viro Egberto Cleuren de Daruelt, Vasallo sæpessati Capituli à Deo Optimo Maximo liberaliter impertitæ, pro maiori Dei gloriâ & augendâ S. ERPHONIS veneratione dictum Nobilem, circa præmissa accuratè quoad omnes circumstantias examinare, & super depositis instrumentum authenticum conficere non grauarer, quâ requisitione factâ, & mandato accepto, contuli me illico in Castrum Daruelt, in Parochia Mauritanâ situm, ibidem que Prænobilis Dominus Egbertus, Dominorum meorum postulatis promptè annuens, pro suo in sospitatore suum, SANCTVM ERPHONEM grati animi affectu, probè sciens, opera Dei reuelare & confiteri honorificum esse, in mei Notarij publici, sub juramento Officij mei instanter requisiti, & testis infra nominati ad hoc specialiter vocati & rogati præsentia, præfens & personaliter constitutus, candidè sine fuce, adstante familiâ propè vniuersa, viuâ & intelligibili voce dixit & eunciauit.

Qualiter is Anno supra millesimum quingentesimum octogesimo natus, modo ætatis sexagesimo octauo, huius verò currentis seculi sexcentesimo vigesimo, postquam longo tempore vehementi ac indies magis inualescente vtriusque pedis paralyfi correptus, ita vt duobus scipionibus, tanquam fulcris, toto corpore inniti, tandem etiam manibus pedibusque humi reptare, acerrimi doloris multoties recrudescentis insolentiâ, compulsus, irritò Medicorum conatu, omni humanâ ope destitutus, ad imploranda Cœlitum, & potissimum S. ERPHONIS (in Ecclesie Mauritanæ Sacello, cui ab ERPHONE hodie dum nomen, sepulto)

suffragia, emisso ad offerendum inibi vnius libræ cereû voto, se conuertisset, hortante se ad id Prænobili & Virtuosâ Domina Elisabethâ à Trauelman de Maser, coniugalis thori consorte suâ, etiamnû superstite, quippe quæ à Reuerendissimo & Prænobili Domino Henrico à Galen Cathedralis Ecclesiæ Sancti Pauli Monasterij Westphalorum Canonico Capitulari, & olim dum viueret Collegij Mauritanij Præposito dignissimo, sæpius inaudierat, frequentes fieri votiuas à fidelibus oblationes ibidem, ad sepulchrum SANCTI ERPHONIS. Factâ itaque per manus dilectæ vxoris suæ ad Altare & sepulchrum sæpefati Sancti Patroni sui, primo diluculo, illo circiter tempore, quo vniuersa Catholica Ecclesia aduentum Spiritus Sancti anniuersariâ celebritate recolit, votiui cerei oblatione illicò, eodem penè momento, vel saltem antequam domum rediisset vxor, opitulante Spiritu Sancto & suffragantibus clienti suo meritis S. ERPHONIS, multo sauis-  
simis cruciatibus, quibus se tam acerbè lancinatum asserebat, per illud tempus, vt è lecto in pauimentum cubiculi desilientem stratisque humi puluinaribus incubantem, morbi insolentiâ mirè affligerit, liberatus fuisset, pedetentim ex sinistro in dextrum pedem serpente dolore, & deinde prorsus euanescente, paralyti omninò restrictâ, recepto pristino pedum vigore & vsu. Quamobrem constanter se post Deum Optimum Maximum S. ERPHONI sospitatori suo, pedum incolumitatem, & paralytis liberationem momentaneam acceptam referre affirmabat. Acta sunt hæc in Castro Daruel in Parochiâ Mauritanâ Diocæsis Monasteriensis, Anno, Indictione, die, horis, Põtificatu, Imperio, & regimine, quibus supra, præsentem ibidem honesto Viro Hermanno Hoymann Ecclesiæ Mauritanæ Aedituo & campanario Teste fide digno, ad hoc specialiter rogato & requisito, nec non vniuersâ prædicti Domini familiâ.

Et quia ego Ioannes Iäger Ciuis Monasteriensis, approbatus & immatriculatus Notarius, nec non Admodum Reuerendi Capituli Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Mauritiij & Thebæorum Martyrum Secretarius iuratus, vnâ cum prænominato Teste, nec non supramentionatâ familiâ, prædictis narratis præsens & personaliter interfui, eaq; omnia & singula auribus excepi, ac in notam sumpsi, Ideò hoc præsens publicum Instrumentum exinde confeci, subscripsi, & Signeto Notariatus mei solito communiui, ad præmissa specialiter requisitus.

Locus  
Signeti.

Ioannes Iäger qui supra  
Notarius subscripsit.

CA-

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

*Continens Diploma S. ERPHONIS primum Ecclesiæ &  
Abbatie Fricconhorstenſi conſeſſum, cum notis  
quibusdam ſingularibus.*

**A**D omnium qui in præſenti ſubſiſtant, vel futuro ſucceſſerint fidelium ne-  
tiritiam peruenire deſideramus, qualiter ego ERPHO ſeptimus-decimus  
ſanctæ Mimigardefordeniſis Eccleſiæ, diuinâ miſerante clementiâ Epicoſopus, fi-  
delium in quantum potui, petitionibus ad ſenſum præbendo, oppreſſis ſubuenire,  
afflictis parcere, contractos ſoluere animum induxi, cum ſolum placeant Omni-  
potenti, qui miſericordiæ ſunt dediti, nec inuident alienæ fœlicitati. Igitur Do-  
mina Adelheit Fricconhorſtenſis Dei gratia Abbatiffa 1. pietatis amore & ſalute,  
vtriuſque vitæ Miniſtris, qui ad eandem Abbatiam pertinebant, ius aliquantò  
melius & clementius, quam prius haberent, conſtituere diſpoſitum habens, af-  
ſumptis ſecum ſuæ prouiſionis filiabus, eiufdem videlicet Fricconhorſtenſis Cœ-  
nobij Sororibus, Dominâ Præpoſita Idâ, Decana Eila, 2. Cuſtode Gerburgâ  
aliſque quarum nomina inſcripta ſunt, Tiedhildâ, Suanihildâ, Bertrude, adiit Se-  
renitatem noſtram, 3. cum fidelibus noſtris, ſumma deuotione & humanitate  
ſupplicans & deprecans, pro diuini timoris & amoris veneratione, ſuique fidelis  
ſeruiantis exoratione, & deuotione totius illius congregationis, cum quâ prius de  
omnibus negotiis egerat, quæ & illi in omnibus conſenſerat, & quæ voluit, vo-  
luerat, optauerat, petiuerat, vt Miniſtris ſuprà memoratis, quia non melius ferè  
ius, quam liti, 4 & qui quotidie ad curtes ſeruiunt, habuerant, vnde etiam pluri-  
mum grauabantur, quale habent qui ad Epicoſopatû pertinent, quale & Dominus  
meus Fridericus, pro ſuâ clementiâ miniſtris, qui ad Præpoſituram pertinent, me  
rogante & impetrante, conſentiente fratrum Mimigardefordeniſium vnanimita-  
te, 5. jus dederat, concederem. & per omnia illis ſimiles in lege, jure, juſtitiâ face-  
rem Quod ego habito cû fidelibus meis tam de Clero, quam militibus & Eccle-  
ſiæ Miniſtris cõſilio, cum placeret omnibus, omneſque quia bonum illis videretur,  
acclamarent, vellent, peterent, facere non renui, atque ad præſens cum plurimi tam  
de Clero, quam militibus meis & Eccleſiæ Miniſtris ad eſſent, tale jus, legem, juſti-  
tiam, qualem Epicoſopales, & qui ad Præpoſituram pertinent Miniſtri, habere vi-  
dentur, conſeſſi, dedi, & concedendo, dandoque ſubſcripſi, cõfirmari, & per omnia  
illis ſimiles, volente, rogante Dominâ eorû, videlicet Abbatiffa Fricconhorſtenſi  
Alceide,

Alheide, consentiente etiam & deprecante vnanimiter totâ congregatione, feci, & testamentum scribendo contradidi. Et ne quis imposterum temeraria persona, rata hæc & certa abolere vlllo pacto præsumat, bannum Episcopalem superimposui, quo cuncta illis firma redderem, confirmarem, corroborarem; Est jus constitutum, quid à viuentibus, quid à defunctis exigatur, quod oportet ab omnibus teneri, ac propterea neccesse est doceri, ac ab omnibus diligentissimè obseruari. Huius constitutionis, traditionis, imò & laudationis testes inscribuntur, vt omnia certiora reddantur; De Clero intererant Rudolphus Decanus, Godalchalcus Vice Dominus, Hermannus Custos, Suehigerus, Adulphus, Luidbertus, Gerbertus, Rato, Durinus, Franco Heiman, Weringerus, Waelinus, Gifilbertus & multi alij Clerici.

De militibus verò aderant Lambertus Comes, Cuonradus Longus, Luippoldus, Godefridus Comes, G. Bernardus Gerhardus de Laon, Godalchalcus filius eius, Ruotgerus, Eilbertus, Hathevorcus, Ruobertus, Folebertus, Thiedmarus, Adelbertus, Wicbern, Meinhard, & multi alij.

De Ministris Ecclesiæ hi fuerunt, Weeil, Suehiger, Luidbracht, Luipp, Ricbracht, Eilbracht, Ruotgerus, Meinhard, Arnold, Adalbracht, Hugbolt, Luidgerus, Ateilin, Walcono, Engelbracht, Werinbracht, Altman, Heriman, Ado, Harbracht, Hiddo, Thiedricus, Heteil, Burchart, Lutzo, Bertholt, Gerbracht, Suehiger, Richbracht, Westeil, Watelin, Ateikin, Godfrid, Gerhard, & alij quâ plurimi.

Actum Mimigardesford. in Camerâ Episcopi, Anno Domini Incarnationis millesimo octogesimo sexto, Indictione viii. iiii. Calendas Ianuarij, Anno verò ordinationis Domini Episcopi ERPHONIS primo fœliciter. Amen.



SEQUUNTUR NOTÆ QUÆDAM  
AD DIPLOMA S. ERPHONIS PRIMVM.

1. (Dei gratia Abbatissa) Hic Nota, quod Episcopus tum temporis, Sanctus noster ERPHO, dederit Abbatissa in Fricconhorst titulum illum Dei gratia, qui licet inspectâ origine humilitatis & modestie potius, quam sublimitatis & magnitudinis professio sit, eadem plâneratione, quâ Romani Pontifices ab antiquo se Seruos Seruorum scribunt, at tamen illo iam Reges & Monarcha, quamuis iure merito, utpote cum nihil nisi ex gratia Dei habeant, soli gloriantur & gloriari volunt, ita ut Martin. Rumelin. in dissertat. suis Academic. ad Auctentam Bullam Caroli IV. dissert. 1. Thesi 4. in addit. sub lit. A. S. Hunc autem titulum, &c. asserat, illum titulum Dei gratia von Gottes Gnaden / suo iure non usurpare, nisi Dominos absolutos. Et licet Germania Principes hac formulâ in literis & Edictis utantur, tamen hoc non iure proprio, sed ex Præiulio fieri. Ac proinde in Galliâ absque crimine laesa Maiestatis, Rege inferiorem hoc titulo uti non posse, unde verba hæc Dei gratia, Ludouicus XI. Franciscum Armoricorum Ducem de suis rescriptis detrahere iussit; tametsi in omnibus ferè antiquis fœderibus vsitata legantur, nec Principibus modo vel Ducibus, sed etiam minimis Magistratibus ac Legatis adscripta, apud Gallos olim fuerint, ita post Bodin. de Republicâ. Rumelin d. loco. Prout & illa S. noster Abbatissa in Freckenhorst adscripsit.

2. (Præposita Ida, Decana Eila) Hic Nota, tum temporis Fricconhorstensis Congregationis aut Collegij Virgines, habuisse Præpositam & Decanam, quarum Officia nunc plânerè extincta sunt.

3. (Adijt Serenitatem nostram.) Ex his verbis manifesti erroris Crantzium arguere cogor, dum extenuando familiam & originem Sancti nostri Metropol. lib. 5. cap. 29. inquit, Mimigardesfordensi Ecclesia per eadem tempora præfuit ERPHO Vir Nobilis, Sanguinem Sanguens, ut ferunt, Magnopolensem; sed erat illâ tempestate Nobilitas ista in paganismis non magnum habens Nomen, VVandalia Nobiles & Obotriti vocabantur ex antiquitate. Sed cum Vir Sanctus & humilis, sibi titulum Serenitatis dari passus sit, ut antiquissimum habet Originale, & illo seculo Titulus ille omnino Regius fuerit, prout etiam nostrâ etate non nisi Regibus, aut ex Sanguine Regio descendentes, aut Regum æmulis dari & appropriari consuevit, diuersum omnino à sententia Crantzij statuendum, & ab illâ hac in parte recedendum existimo, præsertim si consideres matrem S. nostri ex Illustrissimâ & Regiâ Saxonum familiâ Originem traxisse, quâ simplici Obotritorū. Nobili & quidem pagano, nuptui datam esse mihi persuadere nō possum, mirumq; omnino est, quod quæ de Nobilibus & Obotritis VVandalie, Principibus Saxonis Catholicis ac Christianis, cum ipsi adhuc gentiles essent, semper aduersantibus, illisq; manifesta bella continuè mouentibus, nec non de Obotritorum Principibus, illorumq; cum Ducibus Saxonie Sanguinis coniunctione, fœderibus, amicitia, & alijs, in VVandalia scripsit idem Crantzius, eorum in Metropoli suâ amplius non recordetur: sed cum memoria in hominibus labilis sit, l. peregrè 44. ff. de acquir. possessione, & diuinum potius,



potius, quam humanum sit, omnium recordari, aut in nullo peccare, Iustinian. de confirmatio. Digestor. §. Siquid autem, 14. Viro alioquin solerti & accurato, in tantâ confusione operisq; magnitudinē, merito ignoscendum est.

4. (Quam liti) Liti aut litones antiquitus appellati fuere, serui coloni, aut homines proprii, vulgò Eigenhörige Leute / vnde litiloquium, aut liloniloquium, vulgò Hoff Sprach / idq; euidenter probari potest, ex antiquissimis Ecclesia Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum libris & manuscriptis, vti & Reusner in Method. jur. feud. in prefat. ad lectorem tradit, Aldiones vel Aldianes aut Alda, Halden / Veteri verbo famulos aut famulas denotare, prout & Liddi Eieden / vnde adhuc vsitatum E. edlohn.

5. (Consentiente Fratrum Mimigardefordensium vnanimitate) id est, vti nunc loquimur, accedente Capituli consensu; ab ipso enim nascentis Ecclesia exordio diuinitus & rectè institutum fuit, Episcopum sine fratrum Clericorum consilio nihil decernere, eo quod vniuersi Cleri cum Episcopo, tunc erat cor vnum, & anima vna: sed postquam Nobilis illa concordia, temporum nostraq; mortalitatis iniuriâ defluxit, huiusq; honestissimi instituti vix vmbra hodie retineamus, idq; vel Episcoporum ipsorum, vel Capitulorum voluntate obueniat, suas partes esse duxerunt Romani Pontifices, illud mutue Charitatis vinculum arctiori juris nodo astringere, Episcopisq; imperare, ne quicquam sine Capitulo decernerent, Capitulo iniungere, vt quæ maior pars esset, ea obtineret, Cellot. de Hierarch. lib. 4. cap. 12. vbi multa allegat, & subdit. Hinc autem videas, quo loco Clerum Ecclesia matricis habere debeat Episcopum, vt laboris participem, administrationis socium, supparem dignitate. Quod autem S. noster Canonicos suos appellet fratres, in eo primordialis Ecclesia laudabile institutum, & antiquorum Sacrorum Canonum Apostolicum ritum laudabiliter secutus est, notat enim Panormitanus in C. nouit. in 2. Notab. Canonicos dici Fratres Episcopi, sicut Cardinales Fratres Papa, & quod Episcopus eis scribens, non debet appellare eos filios, sed fratres vel socios; ipsi tamen scribentes Episcopo debent eum honorare & appellare Patrem, vide Cellot. d. loco.

6. (Godefridus Comes) Videtur hic Godefridus fuisse Comes Cappenbergensis, B. Godefridi Fundatoris istius Sacra Domus, parens, vixit enim ille hoc tempore, vti constat ex ætate Filij eius, & ex Serario, Brovvero, Boland. Surio, & alijs videri & colligi potest.

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

*Continens Diploma S. ERPHONIS secundum Abbatie Fricconhorstenſi, imprimis verò Congregationi Virginum ibidem, concessum, ſimiliter cum notis quibusdam ſingularibus.*

**I**N Nomine Sanctiſſimæ & Indiuiduæ Trinitatis ERPHO diuinâ miſerante clementiâ Mimigardefordeniſis .i. eſſi ſolo Nomine Episcopuſ, 2. Si quid Sanctæ Dei Eccleſiæ miniſtrantibus vtilitatis pio affectu impendere curamus, retribuui nobis apud Dei miſericordiam ſperamus, maximè cum iuxta præceptum Apoſtoli, operamur bonum apud domeſticos fidei. Quocirca notum cunctis Dei fidelibus fieri cupimus, qualiter cum fidelium noſtrorum conſilio, Præbendam 3. Fricconhorſtenſis Cœnobij, quæ aut vix aut malè dabatur, aut etiam importunè ſubtrahebatur, nec poſt ſubtractionem, reſtituebatur, ita vt ſex hebdomadibus, inter Iulium & Auguſtum meſes, nec potus eis, nec panis daretur, In cæteris autem temporibus confuſè & indiſcretè, & contra aliarum conſuetudines Eccleſiarum inutiliter, quæ iuſtè danda erant, & incautè miniſtrabantur, ratis temporibus cautius & plenius dari conſtituimus, quia ſi in afflictione poſitis non ſubueniremus, iram diuinæ vltionis procul dubio incurreremus. Panes qui dabantur, quamuis modius bonus eſſet, parui tamen & viles erant, quod in melius commutauimus, conſtituentes, vt de modio ſiguli, de quo antè duodecim fiebant, decem panes benè boni fierent, & de modio tritici, vt prius Abbatifſa, ſcilicet Adelheit, diſpoſuerat, quatuordecim panes parari iuſſimus, excepto quod de ipſis panibus, tres, qui ſingulis Dominicis diebus ſuperſunt, in ſuos vſus 4. diſpenſans accipiet, eâ videlicet ratione, vt ſemper in Quadrageſima viii. Mo. tritici pro eis reddat, vnde omnibus in communi à quintâ feriâ poſt caput ieiunij, tertiâ & ſextâ & Sabbatho vſque in tertiam feriam ante Paſcha panis nouus in modum Lunæ formatus, derur, & in iſdem ſupradictis feriis duo beccarij de meliori ceruifiâ ſingulis propinentur. In diebus verò Dominicis per ſingulas duo beccarij, & panis de ſiligine, qui vulgariſter roggo ſubtilis dicitur, continuè dentur. Et quia carnes Præbendariæ ſue de porcis, ſue de ouibus, ſue de vaccis eſſent, adeo viles propter mactationem & paruitatem erant, vt aliquoties ferculum non longius, quam eſt minimus digitus alicuius adulti hominis eſſet, decreuimus oues & porcos meliorari,

L 2

&amp; per-

& porcum qui prius in triginta nouem fercula diuidebatur, per viginti quatuor  
 fecari. & singulis duo fercula, siue porcina, siue ouina fuerit, siue bouina caro, be-  
 nè & iustè, secundum illas carnes, quæ Monasteriensibus fratribus in maiori Mo-  
 nasterio 5. dantur, & inter duas vnam assaturam dari. Conuiuia dabantur,  
 prout placuit, non vt decuit, quia pars aliqua dabatur, plurima subtrahe-  
 batur, quia nihil certi, nihil temperati exhibebatur, vnde inito in com-  
 mune consilio, tempora constituimus, videlicet in Aduentu & Nariui-  
 tate Domini, Ioannis Euangelistæ, in octauâ, in Epiphaniâ Domini, in anniuer-  
 sario Abbatissæ Thiedhildis, in Purificatione S. MARIE, in Pascha, in Inuentione  
 Sanctæ Crucis, in Ascensione Christi, in Penthecoste, Bonifacij, Ioannis Bap-  
 tistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis & Nariuitatis S. MARIE, Michaë-  
 lis, Eonij & Antonij, Cosmæ & Damiani, Maximi, omnium Sanctorum, Marti-  
 ni, Andreæ, cum plenum datur seruitium, septem fercula, cum pleniter non da-  
 tur, quinque dari, ad cœnam verò genus cibi, quod vulgo strua dicitur, & assa-  
 turam binis & binis; à Pascha vsque ad Penthecosten secundâ aut quartâ feriâ  
 de porcis glandibus siue frumento pastis lardum, nisi festiuitas interuenerit, iuxta  
 prius institutum dari constituimus. Pisces non dabantur in quadragesimâ, præter  
 vnum Salmonem, qui in Cœnâ Domini dabatur, cæterum legumina & fabæ vili-  
 ter & incongruè coctæ dabantur, nec erat illis aliquod solatium, vnde possent, cū  
 Domino seruirent, habere sustentaculum, qua propter Diuini amoris pariter, &  
 timoris non immemores, cū fidelioribus accepto nostris consilio triginta solidos  
 in Quadragesimâ disposuimus, videlicet decem de mansis, quos dederat Domi-  
 nus Frithericus, decem de decimis, quas ego peccator ERPHO, & indignus Suc-  
 cessor eius 6. in Dedicatione Ecclesiæ eiusdem tradidi, quinque de Galgare, duo  
 de Velon, tres de Wamalo, vt à capite ieiunij vsque Pascha, quatuor allecia singu-  
 lis, vt pro loco Sanctis que Dei Ecclesiis attentius exorarent quanto meliora emi-  
 potnerint, donentur, & vt huiusmodi emptio alicui fideli Laico aut Clerico com-  
 mittatur. Vinum dabatur eis, sed indiscretè & minus quam indigerent, vnde con-  
 sultò opus esse vidimus, & quia idem vinum de Cellario Abbatissæ dabatur, vi-  
 sum est nobis & fidelibus nostris, vt Abbatissa per se, & sanctimoniales suum pro-  
 prium separatim haberent vinum. Et propterea ad comparationem vini sororum  
 ibidem Domino famulantium, quod sui iuris sit, in suum Cellarium deferatur,  
 libram vnam de Warrenhorst, vnam Marcham de adipibus porcorum, & de bo-  
 uinis coriis, vnam marcham de pellibus ouinis, quatuor solidos de Balahornon  
 computauimus, vt non grauetur Abbatissa & eius cesset querimonia. In diebus  
 Dominicis & festiuitatibus beccarium vini qualibet, & in conuiujs, si in Domi-  
 nicâ euenierint, duos accipiant. A festiuitate omnium Sanctorum vsque Pascha  
 verus cereuisia dabitur, & medo defecata propinabitur, antiquitus yllissima  
 cere-

cereuisia nulli ferè, nisi alicui indigentissimo potabilis dabatur, quod à suprâ dicta Abbatisâ, videlicet Adelheit, sicut de trititio pane, benè & honestè & vtiliter commutabatur, vt omni die quinque beccarij bonæ cereuisiæ, abnegato pristinæ constitutionis incommodo, vnicuique siue domi fuerint, siue exiuerint, 7. tribuantur. Hanc constitutionem eius, vtpote bonam laudamus, adiuuamus & eidem Sanctæ congregationi permanere & non deficere, banno nostro confirmamus. Benedicta sit quæ in melius auxit, vel auxerit, maledicta quæ in peius mutauerit, conuerterit, diminuerit; Oblationes pro fidelium memoriâ oblatas iuxta pristinum seruari, dari, impendi etiam placuit. Pecunia ad comparandum vestitum parua 8. erat, nec ad dimidium alicui earum sufficebat, vnde inquisitione factâ de curti Warthenhorst 13. libras persoluendas iure inuenimus, ac de ipsis sanctimonialibus ad vestitum cuiuslibet, siue in denariis, siue in pannis, siue in frumento 10. solidos dari, constituto die, videlicet in Festo Apostolorum Simonis & Iudæ disposuimus, præter libram, quæ Abbatisâ, & quæ ad comparandum vinû dabitur. Consuetudo ibi erat aliis Sanctis Dei Ecclesiis contraria, vt quotquot Sanctimonialium defunctarum Præbendæ vacuæ fierent 9. quo ad vsque à Successoribus aliis recuperarentur, sub iure essent Abbatisâ, ad quos vellet vsus, conuertere, vnde minui videntes illarum quæ superstites fuerint, tam victum quam vestitum, quia paucas inuenimus & indigentes, communi consilio & affectus pietate condiximus, vt cuiuslibet defunctæ sanctimonialis Præbendæ, post obitum eius per annum donetur, & postea subtrahatur, vt viuentium & domino ibidem seruientium, victus & vestitus tanto melius & commodius impendatur. Hæc imprimis cum agerem, contraria fuerant Abbatisâ, quæ postea per fideles nostros submonita, 10. sponte consensit, benè laudauit, & vt hæc laudabilia & incontulsa permanerent, per omnia se adiuturam promisit, cui etiam, quæ ad se pertineant, in suos vsus separatim discreta sunt, separatim sanctimonialibus attentionia disposuimus, vt vtrique parti sua constent, & neutra alteram in cuset, omni abolitâ iniuriâ, & cessante in futurum querela. Igitur cum hæc omnia multoties in Capitolio Fricconhorstensi, 12. præsentè suprâ dictâ Abbatisâ & Sororibus & Clericis & familia eiusdem Ecclesiæ, nec non præsentibus de Clero S. Pauli quam plurimis, & multis Nobilibus, tam militibus meis quam alijs, & nostræ Ecclesiæ seruientibus agerem, ad Altare Sanctæ Crucis Missam celebrans 11. Non. Septembris, a tante turbâ innumerabili hæc decreta, hæc disposita, hæc constituta Banno Episcopali, vt perpetud maneat, in æternum consistant, perseuerent, confirmauimus, corroborauimus, consolidauimus.

Actum Fricconhorst Anno Dominica Incarnationis millesimo nonagesimo, Indictione xlii. 1v. Non. Septembris,  
 Anno Ordinationis meæ quinto feliciter, Amen.

Secundo, in Dedicatione maioris Ecclesie Monasteriensis. IV. Non. Nouembr. per actū  
13. eundem bannum Dominus Colonienſis ArchiEpiscopus Hermannus, 14. & Leodiensis  
Episcopus Heinricus 15. & ego Monasteriensis Opilio, videlicet ERPHO 16. aſtante, au-  
diente infinita tam leri quam populi, qui ad Dedicationem conuenerant, multitudi-  
ne. fecimus, & qui ex his quicquam, quæ ſupraſcripta ſunt, irritum fecerit, perpetuo anathemate  
excommunicando condemnauiſus.

Tertiâ vice 3. Idus Februarij, cum in maiori Eccleſiâ Monasterienſi, Altare in honorem  
S. Ioannis Baptiſtæ conſecrarem, quo etiam die pœnitentes in Eccleſiam induxi, 17. & recon-  
ciliationem & indulgentiam totis votis, totisq; animis, quo ad poteram, facere inſtiti, ut po-  
te in ſequenti die Hieroſolymam iturus, eundem bannum repetui, non tacui, omnibus indi-  
caui, conteſtamur omnes, conuenimus cunctos, monemus vniuerſos, qui hac audierant, vel in  
futuro reſciuerint, ne animæ ſuæ periculum de his tacendo, incurrant, quin etiam quod o-  
mnis perſona hæc infringens, vel irritans, vel annihilare volens, iudicium diuinæ vltionis in-  
currit, ſiat, dicat, conteſtetur, admoneat, in Chriſti nomine Amen.



SEQVNTVR NOTÆ QVÆDAM

AD DIPLOMA S. ERPHONIS SECVNDVM.

1. (Mimigardefordensis) Clarissimus D. Doctor Ioannes Gigas, pie memoria, in  
ſuo Catalogo Episcoporum Monasteriensium dicit & aſtruit ſub Hermanno Primo  
Episcopo

Episcopo antiquum nomen Milingard paulatim exoleuisse, & utramque Civitatem Monasteriensem dici cœpisse, iubente & volente Imperatore Henrico Tertio; quod constanter asserere non ausim, tum quod Sanctus noster, quamvis Tertius ab Hermanno Primo Episcopus, Mimigardefordensi nomine adhuc vsus fuerit, tum etiam quod in Diplomate suo primo, asserat, Actum esse Mimigardesford in Camera Episcopi; quamvis non negem, etiam illo tempore nomen Monasterium, in vsu esse cœpisse, prout & illo S. ERPHO aliquoties videtur.

2. (Solo nomine Episcopus) Hic Nota humilitatem & Sancti Viri post quinquennium sanctè & laudabiliter administrati Episcopatus, humillimam de se presumptionem, quo diutius enim in dignitate Episcopali versatus fuit, eo magis agnovit, illam Angelicis etiam humeris formidandam, atque ideo dixit, & publicè confessus fuit, se solo nomine esse Episcopum.

3. (Præbendam) Fuerunt hæ Præbende Beneficia mulierum, de quibus tractat Anton. Fabric. Bleyman. in Theoria & praxi Benefic. Ecclesiastic. lib. 3. tit. 7. & cum distinctas etiam sexto abhinc seculo habuerint Præbendas, aut Beneficia, & præterea pro Secularitate præsumendum sit, uti infra notavimus, Sanctimonialia ibidem, etiam tunc temporis fuisse Regulares aut Religiosas, firmare non ausim.

4. (In suos vsus) Hinc Nota, etiam tum temporis Virgines ibidem commorantes habuisse proprietatem, quæ cum ab omni Religionis professione aliena sit, illas veras, istâ etiam ætate fuisse Religiosas aut Regulares, dubius hæreo; nisi dicere velis, fuisse simplicem vsum facti duntaxat, iuxta distinctionem Nicolai Tertij in C. exijs qui seminat, & Clemen. V. in Clement. exiui, nec non Ioannis 22. in extrauag. Ad conditorem, sub tit. de verborum significat. Sed constitutiones illæ, uti solos Fratres Minores sub Regula S. Francisci viuentes, quibus minus licet, concernunt, nec alios Religiosos, licet sint mendicantes, obligant, ita etiam illo tempore nondum editæ fuerunt. Nicolaus enim 3. circa Annum Domini 1277. Clemens V. circa Annum 1305. & Ioannes 22 circa Annum 1316. Primum Summi Pontifices respectivè electi fuere, quin imò cum S. Franciscus circa Annum Domini 1178. primum natus sit, & Episcopalis hæc ordinatio multo Annis præcesserit, evidentissimum est illam iuxta constitutiones Apostolicas super Regulâ Franciscanâ postea subsecutas intelligi non posse; Manet itaq; firmum & planè indubitatum, Virgines Ericonhorstenses habuisse tempore Sancti nostri proprietatem.

5. (In Maiori Monasterio) Mutationem quoad vitam institutum, aut vivendi modum hic contigisse nemo mirari debet: habet enim Laertius Cherubinus in Bullario sub Paschali Secundo, ad constitutionem eiusdem secundam, quod Lateranensis Ecclesia Canonicis Regularibus S. Augustini perpetuè per eundem Pontificem concessa fuerit,

fuerit, cum Privilegiorum elargitione, vbi etiam dicit, istam Ecclesiam esse ceteris Urbis & Orbis Ecclesijs maiorem ex definitione Gregorij XI. & in ea illo tempore resedisse Canonicos Regulares, vt liquet ex constitutione Anastasij IV. qua incipit potestatem, qui etiam eos confirmavit post Alexandrum II. Et de ijs loquitur Clemens III. in cap. 4. de stat. Monach. & Canonorum Regular. & Innocentius III. in cap. sequenti ibidem, nec non Clemens V. in Clem. 1. eodem tit. Modo autem non esse ibi Canonicos Regulares, sed illos recessisse, ac in illorum locum à Bonifacio Octauo inductos esse Canonicos Seculares, omnibus notum est, traditq; Cellot. de Hierarch. lib. 5. cap. 3. in principio: Quod si itaq; in primâ Urbis & Orbis Ecclesiâ mutatio contigerit, eandem in alijs inferioribus Ecclesijs quoque contigisse, mirandum non est; De Ecclesiâ Nemetum, VVormatiensi ac Moguntinâ dicit Bruschi in Catalogo Episcoporum. Spirens. in vita Gebhardi 13. & Balderici 22. Prasulis, quod alterius vite professione mutata, Seculares Ecclesie factæ sunt; De alijs idem habet Bruschi in Catalogo Episcoporum. Paderborn. sub Bernardo IV. Episcopo, & in Catalogo Episcoporum Hildesheimensium, sub Episcopo Dietmaro aut Tiadmaro XV.

Sic Hasenriethanum potentissimum Rhiesæ Cænobium S. Benedicti, in Secularium Canonicorum Collegium immutatum est, Bruschi in Catalogo Episcoporum. Eistetensium, sub Erckenvaldo Prasule 8. idq; ante Annum Christi 902.

An autem omnia Cænobia aut Monasteria ita ab initio fundata fuerint, vt essent Regularia, profecto non omni ex parte expeditum est; Nam Dagobertus Galliarum Rex VVelfenburgense Cænobium, vt ibi Principum, Comitum ac Baronum educarentur liberi, fundauit ac construxit. Bruschi in Catalogo Episcoporum. Spirens. in vita Amelrici 16. Episcopi. Ludouicus Imperator Cænobium Benedictinum Ehethall in Frisingensi Episcopatu situm, in honorem Beatae Mariae Virginis fundauit, vt in eo duodecim Comites vel Barones ad pauperiem redacti, cum coniugibus, sub Abbate viuere, Deo seruire, & honestè tractari deberent, idem Bruschi in vita Vtrici Augustani Episcopi 45.

De diuersis Cænobijs aut Monasterijs Nobilium Virginum, Secularibus aut saltem, vt loquuntur, Secularisatis, idem Bruschi videndus est, sub Hermanno Episcopo Augustano 32. in vita S. Alefridi Episcopi Hildesheimiensis Quarti, sub Badurado Secundo Prasule Paderborn. & Bisone Quarto eiusdem Sedis Episcopo.

Porro de Ecclesijs Secularisatis, vt loquuntur, aut de Secularisationibus ac mutationibus Status Ecclesiarum agit & tractat Anton. Fabric Bleynian. in theor. & praxi benef. Ecclesiasticæ lib. 2. tit. 7. de reliq. stipendijs Ecclesiastic. & varijs appellat. stipendiariorum num. 30. & lit. I. vbi dicit Secularisationes & mutationes Status Ecclesiarum, cum suo onere & conditione fieri intelligi, & lib. 3. tit. 5. num. 6. 7. & 8. vbi dicit, quod Ecclesia Secularis prescribatur spatio 40. Annorum, eo quod magis pro Secularitate, quam Regularitate presumendum sit, & quod asserens Beneficium Seculare nihil ponat inesse, sed potius abesse aliquid, vix nempè Monasticam Professionem & Regulam, contendat.

Insuper sciendum est, Ioannem Trullum de Ordin. Canonorum Regular. lib. 1. cap. 2. multis

multis probare, nascentis Ecclesie Clericos regulariter & in communi vixisse. Vnde euenisse existimatur Cellot. de Hierarch. lib. 5. cap. 1. quod Clerici à Grecis in Canone esse dicantur, indeq; appellatos Canonicos, quasi dicas, Regulares, qui certis Regulis & Legibus sunt obstricti. Refert etiam à Petro Blesensi idem Cellot. in tractat. de Hierarch. lib. 5. cap. 16. § vnico. olim in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs fuisse Monachos, siue Canonicos Regulares in communi viuentes, atque vno Refectorio vnoque Claustro contentos; hodie verò omnes fere esse Seculares à Regulari vitâ prorsus alienos.

Suarez quoque Tom. 4. de Relig. lib. 1. de variet. Relig. cap. 9. num. 6. & 7. dicit, si primam Originem huius vocis Canonicus spectemus, nihil aliud à principio significasse videtur, quam Clericum sub Regulâ viuentem & communem vitam Apostolorum more, cum alijs in Ecclesiastico Collegio obseruantem, vt notauit Couarr. Postea verò ipsi etiam Canonici vitam illam communem relinquere cœperunt, & proprias Canonias & Præbendas inter se diuidere, Canonicorum nihilominus retento nomine; & idè illi Canonici, qui in Religiosâ & communi vitâ permanserunt, Canonici Regulares dicti sunt, non propter ambitionem vel ignorantiam, vti calumniatus est Ludouicus Viuez, sed propter necessitatem determinandi vocem, Canonicus, iam enim absolutè sumpta non significat Regularem aut Religiosum, sed quemcunque habentem Canonicatum aut Canoniam; Paulatim itaq; & successiue triplex Canonicorum genus in Ecclesiam introductum est, docente Præposito in apparat. in Can. 1. distinct. 43. Primum videlicet eorum, qui Clerici Seculares dicuntur proprium habentes & separatim viuentes, Alterum genus est eorum, qui proprium habent, non tamen profitentur, sed Collegiatim viuunt & dicuntur Clerici Collegiati, quales apud nos hic Monasterij sunt Canonici ad Fontem Salientem, iam à multo tempore in Apostolico communiter viuendi modo à Sanctâ Sede confirmati. Tertium genus est eorum, qui primitiuum & Apostolicum viuendi modum retinent in communi viuentes, & tria profitentes Vota Religionis essentialia, qui propriè dicuntur Canonici Regulares in communi viuentes.

Sed cum ritus ille communiter viuendi à Successoribus Apostolorum, Clericisq; omnibus diu quidem diligentissimè seruatus sit, at non eâ qua deinde forma, vt tradit Raphael Volaterran. apud Cellot. de Hierarchia lib. 5. cap. 1. idemq; Auctor in Clericis ijsdem non paupertatem, sed strictiorem quendam diuitiarum usum agnoscat, lib. 9. cap. 16. §. de paupertate. Insuper tempore S. nostri ERPHONIS, Canonici Cathedrales & S. Mauritij proprietatem habuerint, vt patet in Ludolpho II. Præposito S. Mauritij, qui in Terrâ Sanctâ occisus, anniuersarium suum in vtraque Ecclesiâ fundauit; Idè à sententiâ Betri Blesensis asserentis generaliter olim in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs fuisse Monachos, quoad Ecclesiam nostram Cathedralem & Collegiatam S. Mauritij, secedere cogor; Monachale enim institutum, nihil proprium patitur. Et quamuis non negem, vixisse Canonicos Cathedrales & S. Mauritij in communi, & vno Refectorio, vnoq; Claustro priscis temporibus contentos fuisse, idq; sub vno Prælato, & certâ quadam Regulâ: attamen illam Monachalem fuisse, ob permissam illis proprietatem ac vltimæ voluntatis Elogium omnino nego.



6. (Peccator ERPHO, et si indignus Successor eius) Hic iterum nota, summam huius Sancti humilitatem, dum se ipso, quamuis reuera Sancto, dicit se esse peccatorem, & indignum Antecessoris & Cognati sui Friderici Successorem; Magna profecto humilitas.

7. (Vnicuique siue domi fuerit, siue exierit) Ex his verbis manifestum planè euadit, non fuisse etiam tum temporis, id est, seculo abhinc sexto, ibidem clausuram.

8. (Pecunia ad comparandum vestitum) Hinc etiam, & aliunde nota, fuisse in vestibus & Præbendâ aut ministracione Virgines planè separatas.

9. (Præbendæ vacuæ fierent) Ad hæc verba iterum statuere & dicere debeo, fuisse eiusmodi Præbendas, Beneficia mulierum, de quibus supra, & non sterisse etiam illâ etate ibidem Virgines in clausurâ & Regulari obseruantia, aut fuisse professas, sed distinctas Præbendas, & ex ijs proprium quid habuisse, quod verba sequentia, & multa alia in eodem Diplomate planè notum faciunt.

10. (Per fideles nostros submonita) Quamuis esset ordinarius & indubitatus Superior, qui Abbatissa iubere & in virtute Sancta obedientiæ imperare poterat, considerato vel maximè, quod tum temporis, vti & nunc, sub ordinario esset, illisq; temporibus, subsecuta postmodum exemptiones, adhuc incognite forent, tamen seueritate postpositâ Abbatissam per fideles suos submoneri, & eius consensum elici voluit. Vnde notanda & bene signanda est, tanti Viri & Sancti clementia. Quod autem primis S. Ecclesiæ Annis & temporibus, omnes etiam Religiosi aut Regulares Episcopis subiecti fuerint, præterquam quod omnino indubitatum existat, manifestè contestatur Cellot. in tract. de Hierarch. & Hierarch. lib. 5. cap. 16. in principio, vbi inquit, de jure communi per se ex rei natura, & essentialiter in Statu Episcopali inest principatus, cui Status Religiosus ex se & essentialiter est subditus. Hic ordo à Christo institutus est, eumque à primis seculis semper seruauit Ecclesia; Idcirco ab ipsis primordijs vna, & quidem ex grauissimis Episcopatus curis fuit, Religiosos Ordines stabilire, regere, lustrare, continere in officio, ad virtutis studium, & ἀσκησιν inflammare, quin imò etiam quoad Regularem obseruantiam Statum Religiosum Episcopo subditum fuisse, certa & Catholica doctrina est teste eodem Cellotio d. loco §. Vnico, &c. Vers. Nihilominus, &c. Illis quoque temporibus priuata erat Religionis approbatio, confirmatioq; ab eo Episcopo, in cuius Diœcesi primum Monasterium incipiebat, quod si aliud simile in aliâ Diœcesi erigendum erat, ad eius Episcopum approbatio spectabat, donec communi omnium, tacitoq; consensu vniuersaliter probata, receptaq; censeretur, Idem Cellot. d. loco cap. 5. num. 1.

11. (Sanctimonialibus) Quamuis Moniales ad instar Monachorum à Monasterio denominentur, vt docet Card. in Clement. 2. §. 1. de Statu Monach. tamen & earum quedam in Secularibus Ecclesijs reperiuntur, vt videre est ex C. indemnitati-

bue

bus §. fin de elect in 6. imò & in domibus proprijs, can. quicumque: & ibi Gloss. in verb. Sanctimonialibus, 12. quest. 5. Fabric. Bleynian. in Theor. & praxi benefic. Ecclesiastic. lib. 3. tit. 7. num. 10. Gloss. in d. Can. quicumque in verb. Sanctimonialibus, &c. dicit, Argumentum hic est pro Sanctimonialibus Teutonia, quæ possunt habere propria, quia vestem Religiosam potest quis habere in domo propria; & licet dicat talium Monialium vitam condemnari in Can. perniciosam 18. quest. 2. attamen d. Canonem legenti ad oculos patet, illum de planè alijs & diuersis, nimirum verè professis, loqui. Quibus accedit quod Sanctimoniales & Canonissæ Seculares in d. c. indemnitatibus in fine, nec non in omnibus dispositionibus & prouisionibus Apostolicis tolerantur, & expresse non reprobentur. Vnde etiam illud verbum Sanctimoniales sepius à S. ERPHONE vsurpatum, Virgines Fricconhorstenses istà ætate, fuisse verè Regulares aut Professas non euenit.

12. (Capitolo Fricconhorsteni) Ego ex his verbis aliud colligere non possum, quam fuisse in domo Capitulari, aut Capitulo Fricconhorsteni hæc omnia peracta.

13. (In Dedicatione Maioris Ecclesiæ Monasteriensis iiii. Nonas Nouembris peracta) Cum 4. Non. Nouembr. incidat in secundum diem Mensis Nouembris, & modo Festum Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ celebretur in Festo S. Hieronymi, videlicet 30. Septembris, omnino statuendum est, post S. nostri mortem, aliam Ecclesiæ nostræ Cathedralis adificationem & consecrationem contigisse, prout etiam post eiusdem obitum sub Theodorico Episcopo totius Ciuitatis & Ecclesiæ Cathedralis conflagrationem factam esse, omnes habent historia.

14. (Dominus Coloniensis ArchiEpiscopus Hermannus) Fuit hic Hermannus Tertius eius Nominis, ArchiEpiscopus Coloniensis, Diues dictus, Comes de Northheim, Sigeberge in domo Capitulari sepultus Anno 1099. vti asserit, sepius nominatus Dominus Doctor Gigas in Catalogo suo ArchiEpiscoporum Coloniensium, cui consentit Cussem. in Saxon. Catholica, fol. 171. sub tit. de Hermanno ArchiEpiscopo Coloniensi, vbi dicit, eum fuisse stirpis VVitikinde, & attentissimum rerum sui ArchiEpiscopatus inspectorem, imò tanta auctoritatis, vt Imperatore extra Germaniam agente, ipse negotia Imperij Vicariâ operâ administraret, intellige, inquam, vt supra cap. 5. diximus, illo tempore & Annis quando Henricus Imperator in communionem fidelium exiit.

15. (Leodiensis Episcopus Henricus) Fuit is Henricus Primus, quinquagesimus quartus Episcopus Leodiensis. qui postquam hic, Monasterij in Dedicatione Ecclesiæ fuisset, Anno sequenti, nimirum 1091. pridie Calend. Iunij defunctus est, Anno quidem Ordinationis suæ decimo octauo, sepultusq; est Hoy in Ecclesia B. MARIÆ iuxta Chorum, ante Altare Beati Ioannis Baptista, vide historiam Leodiensem; De hoc Henrico, laudabilem facit mentionem Cratopol. Minorita in Catalogo aut Annalibus Episcoporum Leodiensium, sequentibus verbis. Henricus dictus

*Pacificus, vitâ & genere Nobilis, Archidiaconus Viridunensis, ortus ex Tullo. Sanctus Anno Archiepiscopus Coloniensis hunc Anno Domini 1075. consecrauit, praefuit Annis 17. fuit Vir valdè mansuetus & suo munere egregiè functus est, in Ecclesia Hoyensi ante aram S. Iohannis Baptista sepultus.*

16. (Et ego Monasteriensis Opilio) Hic iterum iterumq̄, Nota S. Episcopi, & Principis Viri inam & extremam humilitatem, dum se humillimè Monasteriensem nominat Opilionem, O magna & profunda humilitas! Sciuit utiq̄, & post administratum quinquennio Pastoralis cura laudabiliter Officiū, expertus agnouit, summum in Episcopatu onus, & periculum, curamq̄, animarum omnibus alijs grauiorem esse: Innocentius III Pontifex, magno Vir consilio & auctoritate, cum videret non corporum, sed animorum curam propositam esse Praesidibus Ecclesiarum, & momentum illius muneris summum, periculosissimūq̄, experimentum, iuste exclamat. Ars artium, regimen animarum, VBI GLOSSA, benè, inquit, dicit, quia anima sunt pretiosiores omnibus alijs rebus & corporibus, vt habetur in can. precipimus 12. quest. 1. Hoc essatum Sanctissimus ille Pontifex è Gregorio Nazianzeno desumpsisse videtur, qui praefecturam Ecclesia nominauit, Artem artium & scientiam scientiarum. Cumq̄, & Veterum sapientum consilijs doctrinaq̄, & propria experientia rem didicisset, grauius illud pronunciauit, nihil difficilius, quam scire hominibus imperare, idem Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Hac & similia si nostris benè considerarentur temporibus, non tot ambitiosos exporiremur Episcopaliū dignitatum affectus, sed potius recogitarent omnes rectè monere S. Bernard. Epist. 42. Multi non tantā fiduciā & alacritate current ad honores, si essentirent & onera; grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo, quarumlibet affectarent Infulas dignitatum. Nec non S. Augustinū in Psal. 106 Quo plus honoramur, tanto plus periclitamur. Cum itaq̄, S. ERPHO ex Apostolicis hausisset constitutionibus lib. 2. c. 25. non esse facile & leue onus Episcopatum administrare, eo quod Episcopi delicta omnium portet, & de omnibus Deo rationem reddituri sint, humiliter & modestè se nominat Opilionē.

17. (Pœnitentes in Ecclesiam induxi) His Sanctus noster pœnitentia publica tum temporis in Ecclesia certis in casibus vsitata mentionem facere videtur, de cuius formā eiusq̄, curiosā, & Lectori antiquitatis studioso non ingrata interpretatione, videndus omnino erit, Cellot. de Hierarch. lib. 3. cap. 23. §. 1. 2. & 3.

BENEVOLE LECTOR,

ITERVM SALVE ET VALE, AC AD ALIQVEM SANCTORVM  
CONVERTERE.

IOB CAP. 5.

Extremam verò Sancti Viri, ac Mimigardefordensis, nunc Monasteriensis Ecclesiae, dignissimi Praesulis vitæ manum imponendo, eiusdem Diœcesis subditos & incolas, contiuuò, ac indefinenter meminisse opto & cupio, quod

S.PAV-

## S. PAVLVS APOSTOLVS PATRONVS MONASTERIENSIS.

Vniuersum Clerum, Equestrem Ordinem, Consules & Ciues, omnemque populum Diœcesis suæ Monasteriensis, ad *Hebr. 13. cap.* rectè moneat.

*Mementote Præpositorum Vestrorum, qui loquuti sunt Vobis verbum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitami fidei.*

Post repetitum Salue & Vale, atque vltimam Opusculo admotam manum, en iterum, Amice Lector, te interpellare cogor, dum enim libellum hunc ad vmbilicum duco, pietate & sumptibus D. Ioannis Friderici Plônies Thesaurarij & Canonici ad S. Mauritium, colendissimi Affinis mei, tabula lapidea in Sacello S. ERPHONIS affixa, & postmodum coloribus illuminata est, in qua sequentia sculpta & aureis literis exarata leguntur.

*Sapientiam Sanctorum narrent populi & laudem eorum  
nunciet Ecclesia. Eccl 44.*

**D**ilectus Deo & hominibus S. ERPHO Megapolitanus, cuius memoria in benedictione. ex Illustri & peruetustâ Obotritorum Regulorum profapia ortus, Alter à Frederico Marchione Misnensi cognato suo Insignis huius Collegij in honorem SS. Mauritij & Thebæorum Martyrum Fundator & Auctor, nec non eiusdem in Episcopatu Monasteriensi Successor fuit dignissimus; Hic *fr. 920* S. Gregorio VII. Summo Pontifice & Henrico Germanorum Rege IV. Romanorum verò Imperatore III. Anno 1086. mense Ian. dictæ Ecclesiæ Ordinatus & Consecratus est Episcopus, suscepto hoc Pontificali munere sui contemptor egregius, Illustria omnino iecit Religiosæ munificentæ fundamenta; Cathedralem S. PAVLI Sponsam suam, Collegiatis duas, Canonicorum Mauritanorum vnâ, Virginum Freckenhorstensium alteram, Ecclesias præclarè dotauit, magnificè fundauit, & luculentis reditibus copiosè adauxit; Denique Anno istius Seculi 1095. ab Urbano II. Summo Pontifice indictâ in Concilio Claromontensi famosâ per vniuersam Europam expeditione in Terram Sanctam, ipse Anno 1096. pridie Idus Febr. itineri Hierosolymitano se accingens sub Duce Lotharingiæ Godefrido Bullionio, vna cum Ludolpho huius à se fundati Collegij Secundo Præposito, (qui ibidem pugnans, gloriosè occubuit) susceptâ tesserâ militari, Signo SS. Crucis purpureæ, super scapulam dexteram vestibus impresso, traiecto Bosphoro Thracio in eandem penetrauit, nec non voti compos, recuperatâ Hierosolymâ, fugatis, cæsis debellatisque Turcis, An. 1099. multis secum delatis Reliquiis, quibus hanc Ædem condecorauit, (quarum anniuersaria solennitas hodie dum Dominica circa Festum Margaritæ festiuè in Choro peragitur) ad Episcopatum suum redijt gloriosus, ibiq; aliquot Annis oues sibi commissas verbo paut


& exemplo, migravit in cœlum Sanctitate, quam pedo fagoq; clarior, 9. Nouemb. circa Annum 1104. Cuius Sacrum corpus olim in Cœmiterio præ foribus templi in parte Occidentali sepultum, maiorum pietas, fidelium zelus, Cleri feruens erga fundatorem Sanctum deuotio ac studium, ter post diuersas ruinas excitatis iteratò monumentis, super ædificato inibi Sacello exornat, colit, deueneratur. ERPHONIS porrò iugem Sanctitatis famam, quingentis quadraginta quatuor circiter ab obitu Annis Monasterij Westphalorum, constanti Veterum traditio- ne in hæc vsque tempora propagatam, huius Sacelli cui ab ERPHONE hodie dū nomen, erectio, Altaris ad beneficium Diaconale in honorem eiusdem de Anno 1347. per antiqua fundatio, nec non frequentes oblationes, quâ cereorum, quâ lampadum diu noctuque ardentium, testantur & comprobant, & sunt etiamnum superstites, qui huius Sancti Patrocinio se deperditam à Deo sanitatem corporis recuperasse piè credant, & palam profiteantur.

Vides, beneuolè Lector, per immemorabilem longissimi temporis cursum, ordinariorum scientiâ & tolerantia Sanctum hunc erectione Sacelli & ara, vsu cereorum & lampadum, votiuus fidelium oblationibus, more S.R. Catholicæ Ecclesiæ consueto, cultum fuisse & honoratum. Tu lauda Dominum in Sanctis eius, & supplex hunc Dei seruum, in æternâ gloriâ cum Christo regnantem, deuenerare, & vt impetres eius intercessionis suffragium, non deseras Sanctæ & humilis illius conuersationis exemplum.

S. E R P H O

ORA PRO CLERO PRÆSVL,

PVGNA PRO CLERO MILES, Anno 1648.



## INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM. De familiâ, Parentibus, & Anno Natiuitatis S. ERPHONIS.	
Pag. 16.	
CAPVT II. De Friderico Episcopo S. ERPHONIS in Cathedrâ Monasteriensi Antecessore.	20.
CAPVT III. De infantia, iuuenilitate, & educatione S. ERPHONIS.	25.
CAPVT IV. De obitu Friderici Episcopi, & quo Anno eidem S. ERPHO successerit.	27.
CAPVT V. De Canonica assumptione & sublimatione S. ERPHONIS in Episcopum Monaste-	

nafteriensem, & quod Schismaticis non adhaerit, sed semper in communionem S. Sedis apostolicæ fidelis permanserit. 28.

CAPVT VI. De laudabiliter administrato in multis à S. ERPHONE munere & Officio Episcopali. 40.

CAPVT VII. De magnâ & profundâ humilitate S. ERPHONIS. 42.

CAPVT VIII. De liberalitate S. ERPHONIS erga Ecclesias Dei, Deoq; seruietes. 44.

CAPVT IX. De Concilio Claromontano, declaratâ ibidem auctoritate VRBANI Secundi Papæ, expeditione Hierosolymitanâ, & itinere S. ERPHONIS in Terram Sanctam. 51.

CAPVT X. De Godefrido Boloniensi Comite, Bullionij Domino, & postmodum per adoptionem Lotharingæ Duce, in cuius laudabili & pio comitatu S. ERPHO in Terram Sanctam perrexit. 56.

CAPVT XI. De Comitibus aut Sodalibus itineris S. ERPHONIS ex VVestphaliâ in Terram Sanctam, quod diuersos suo exemplo commotos inde secum abduxerit, & quod Ludolphus Præpositus S. Mauritij ibidem occisus sit. Item quid in itinere & Terrâ Sanctâ egerit, & quid ibi ipsi alijsq; socijs suis contigerit. 60.

CAPVT XII. De reditu S. ERPHONIS è Terrâ Sanctâ ad Episcopatum suum Mimigardensensem, nunc Monasteriensem, & de Sigillo ipsius. 66.

CAPVT XIII. De die & Anno obitus S. ERPHONIS eiusq; sepulturâ, & quæ ac qualia miracula post mortem ad tumulum ipsius contigerint. Item quod à trecentis & ultra Annis Sanctus auctoritate Episcopali habitus & veneratus fuerit, nec non de deuastatione eius monumenti per Anabaptistas factâ, eiusq; postmodum restauratione. 68.

CAPVT XIV. Continens Diploma S. ERPHONIS primum, Ecclesiæ & Abbatie Fricconhorsteni concessum, cum Notis quibusdam singularibus. 79.

CAPVT XV. Continens Diploma S. ERPHONIS secundum, Abbatie Fricconhorsteni, imprimis verò Congregationi Virginum ibidem concessam, similiter cum Notis quibusdam singularibus. 83.

F I N I S.

ERRATA & omiffa, diuerforum culpâ ac iniuriâ com-  
miffa, fic corrigantur & fuppleantur.

Pag. 7. in fine primæ, & p. 9. in fine fecundæ Epiftolæ Dedicatoriæ, pro *Diocelis*,  
lege *Diacefis*. p. 9. in fine pro *PEN.* lege *DEC.* p. 11. difticho 4. pro *cælicolis*, lege *Chrifti-*  
*solis*. p. 17. lin. 17. poft verbum *Bardevvick* inferere omiffum numerum 1. p. 18. lin. 2.  
poft verbum *agnatam* inferere omiffum num. 2. eadem pag. 18. fub num. 2. lin. 6. pro  
*Marchionis*, lege *Marchionis*. p. 20. fub c. 2. l. 4. poft verbum *Miffia* inferere omiffum nu.  
1. p. 22. fub §. *His omnibus, &c.* pro *Cuthemius*, lege *Cutfemius* p. 23. l. 20. pro *redolefcen-*  
*tia*, lege *redolentia*. p. 27. fub §. *Secundi verò, &c.* poft verbum *Millefimo*, inferere omif-  
fum verbum *Nonagefimo*. p. 29. lin. 3. poft verbum *Tertium*, inferere omiffum num. 1.  
p. 34. lin. 4. pro *quoo*, lege *quod*. p. 41. poft verbū *formidandum*, inferere omiffum nu. 1.  
p. 42. fub c. 7. lin. 5. pro *Epifcipo*, lege *Epifcopis*. p. 52. lin. 4. pro *adhortari* lege *dehortari*,  
pag. eadem lin. 21. poft verba *confequendâ*, inferere omiffum num. 1. p. 53. §. *Quibus &*  
*illud, &c.* in fine pro 1079. lege 1097. p. 55. fub num. 2. lin. 4. in Anno editæ à Plati-  
nâ de vitis Pontificum hiftoriæ, erratum eft, ille enim poft mortem Pauli II. (cui  
valdè infenfus extitit, eo quod fuiffet ab ipfo ob fufpiciones in carcerem detrufus)  
opus fuum dedicauit Sixto IV. circa Annum 1471. *Spondan. in Auctar. Chronolog. ad*  
*Baron.* Anno autem 1529. hiftoria Platinæ in Germaniâ Colonia Agrippinæ im-  
preffa fuit, in Officinâ Eucharj Coruicorni, prout etiam Anno 1562. apud Mater-  
num Cholinum itidem Colonia. pag. 67. in numero paginæ, pro 97. lege 67. ibi-  
dem lin. 3. pro *Marcho*, lege *Marchio*. p. 68. in titulo capituli decimitertij lin. 3. pro *ha-*  
*betur*, lege *habitus*. p. 70. lin. 1. poft nomen *Mauritium*, inferere omiffum *in.* ibid. lin. 2.  
pro *adeficato*, lege *ad edeficato*. p. 72. lin. antepenultimâ poft *ut dele comma*. ibid. lin.  
penultimâ pro *antiqua*, lege *antiqua*. p. 80. lin. 10. poft nomen *Franco*, inferere omif-  
fum *comma*. p. 81. lin. 29. poft verbum *pagani*, dele *punctum*. p. 82. lin. 25. poft verba  
*in c. nouit*, inferere *de his que funt à Prælat.* pag. 85. lin. 21. pro *cum fidelioribus accepto no-*  
*ftis confilio*, lege *cum fidelioribus noftis accepto confilio*.

*A. J. S. m. 1777*







